



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

DE ISIDIS APUD ROMANOS CULTU.

DISSERTATIO INAUGURALIS
 QUAM
 CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
 IN
 ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
 FRIDERICA GUIELMA
 AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
 RITE CAPESSENDOS
 DIE XIV. M. AUGUSTI A. MDCCXLIX
 H. IX
 PUBLICE DEFENDET
 AUCTOR
CAROLUS REICHEL
 DARMSTADINUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT

F. SCHIRRMACHER, PHIL. DR.
 TH. BECCARD, PHIL. CAND.
 L. BOTZON, PHIL. CAND.



BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PRAECEPTORI

PRAESTANTISSIMO, DILECTISSIMO

D. CHRISTIANO BOSSLER,

GYMNASII DARMSTADINI MAGISTRO

P I O G R A T O Q U E A N I M O

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Sunt sine dubio qui mirentur quod rem jam olim a viris doctis tanta tractatam diligentia proposuerim mihi denuo accuratius disceptandam: qua de causa, utque sciat lector quo consilio huncce libellum iudicio suo tradiderim paucis verbis opusculi mei, quem me assecutum esse vehementer cupio, finem exponam. Quum compluribus annis ante Boettigeri libellum, cui Sabinae nomen inscripsit auctor, perlegisset, ad ea quae dispersa quidem de Isidis apud Romanos cultu adnotavit magno opere animum intendi. Qua arcana illa Isidis mysteria cognoscendi pulsus cupiditate, in seminario Ludoviciana Giesensis philologo primam operam impendi Isiacis cognoscendis sacris. Neque disceptatio illa quam admodum vilem fuisse nunc bene intelligo, hoc non valuit, ut eandem rem iterum majore quam antea praesto mihi fuit in literis experientia nisus adirem.

Namque unum in omnium qui de Isidis sacris scripsere tractationibus desideravi, ut quibus de causis illam apud Romanos tam magnam auctorita-

tem adepta sint sacra demonstretur. Quod quam sit difficile numquam me fugit, sed tamen causas illas suscepi eruendas, neque plane me puto aberrasse a vero. Quum autem tractatis illis invenerim sua sponte doctrinam illam, quae unum numen mundi moderatorem statuerit, e ceteris deorum cultibus jam corruptis adjecta illorum temporum philosophia esse progenitam, hoc per totum libellum explicare conatus sum argumentum. Adiecta tunc Isiaci cultus historia, quam plures antea incepserunt ad finem perducturus, fusius denique sacrorum ritus magnam partem ex patrum ecclesiae scriptis cognitos disserui, quibus stoicae potissimum doctrinae cum ea quae mysticis illis sacris abscondita erat cognitionem probarem. Si quidem multi ante me argumentum nostrum vario modo tractarunt, hoc ipse petii primus ut una sententia conjungerem rem cunctam.

At quum auctores soleant nescire, annon singulas, quae ipsis quidem perspicuae sint, res silensio praetermisseriat, ignosce si forte hoc mihi acciderit benevole lector, mementoque libellum nostrum benevolo esse commendatum judici!

De Aegyptio apud Romanos cultu consueverunt homines sententias a sanctae ecclesiae patribus summa ira et studio decantatas repetere, quorum auctoritatem hac in retam temere sequebantur, ut, neglecta integra disceptatione, cum illis receptam in urbem Aegyptiorum religionem turpissimae depravationis indicium haberent. At tanto opere degenerasse a majorum virtute putanda est aetas, qua Vergilius Romano illo vigore tamque ardenti honesti studio carmen scripsit? qua doctrinae tanta diligentia colebantur? qua quaecunque hominum ars sollertiaque protulerunt summo cum gaudio fovebantur? A majorum conditione maxime jam discessisse Romanos eo tempore, quod spectare nos neminem fugiet, quis neget? Et tamen Ciceronum, Caesarum, Varronum aliorum aetate gentem Romanam ad summum quasi vestigium pervenisse quis dubitet? Eis quidem temporibus Aegyptii sacerdotes in urbem primum venerunt. Romani nugisne animum adverterint? At ingenium humanum semper proficere in cultura, non deficere, ne cessare quidem meminerimus!

Magna sane rerum conversio inde ex Sullae temporibus orta est. Nam quum populus, quem proceres antea yi oppressum absque republica regenda remotum tenuer-

rant, summam civitatis potestatem gradatim veluti adeptus esset, rerum principatum sibi coepit vindicare, quicunque ingenii indole adeo excellebat ut natura videretur illa praeditus ad ceteros regendos. Hic est finis antiquae rationis; quam enim antea cives ad augendam rempublicam adhibuerant, tum nisi suis rebus consulendo non impendebant innatam indolem. Hac tamen ex suarum rerum cura tam magna exorta sunt, ut rerum conditionem mutatam quidem sed omnino corruptam dicere nequeas, quamvis nonnulla extiterint facta quae jure turpia habeantur.

Si quidem patrum ecclesiae scriptis, qui Isidis cultum posteritatis risui subjecere conabantur, fidem habemus, religionem illam ineptissimam ducamus necesse est; quod tamen judicium maxime discrepare mihi videtur a Romanorum quam alioquin servarant gravitate. Superstitionis plenos fuisse Quirites saepe dictum est; illam verum ita esse intelligendam ut nimis officiosa ac prope anxia observatione, missa jam eorum scientia, patrios ritus retinuerint, dum peregrinos summa constantia ac severitate pellunt, hoc multos fugit. Quod quidem senatui de Isidis quoque mysteriis saepius visum est. At quum patrii ritus simul cum antiqua rei publicae conditione valde essent labefactati, cedere eos novae cuidam de rebus divinis doctrinae oportuit, magis quidem consentaneae illius temporis philosophiae. Dico enim Aegyptia illa mysteria, qua quidem forma apud Romanos extiterint ex tota rerum sacrarum atque philosophiae conditione necessario exstitisse: hancque meam sententiam adhibitis argumentis munire conabor. Prima igitur hujus libelli pars erit, qua innatis civitati Romanae sacris atque de rebus divinis sententiis breviter consideratis Isidis mysteria no-

vam eandemque necessariam ingenii humani rationem demonstravero.

Jure mireris quomodo factum sit ut maesta illa ac paene truculenta mysteria Romanae religionis depellerent pompas et sollemnia, quibus dei tam laeta atque sincera ratione colebantur. Haec sane quaestio quae accuratius tractetur digna est; sed longius repetamus argumenta necessere est, quibus causarum seriem explicemus, nodumque hujus libelli initio quasi nexus solvamus. Romana sacra pastorum nationis propria originis suae vestigia ad exitium usque prae se ferebant; partim enim spectabant ad armenti gregumque secunditatem et arvorum ubertatem a deis impetrandas; partim focum rite sancteque curabant incolae soli Romani, quem omnino humani convictus et culturae momentum esse duxerunt; partim precibus et immolatione, ut feras a gregibus, hostes a casis retinerent deos impellere studebant. Patronum etiam Romani imperii, cui postea belli certamina regenda tradita sunt, rustica pastorum turba deum agrestem adoraverat. Juppiter vero caeli rex potentissimus, pluvius vocatus, fulminum horrendus ille jactator aequa ac conjunx ejus Lucina quae partibus benevolia subvenit, religionis simplicem naturam ostendunt. Atque veluti e matrimonii vinculo familia, ex eademque civitas originem duxisse videtur (quibus familiae quasi in fundamentis tota Romanorum civitas collocata erat), ita ex matrimonii custodia ceterae quas Graeci „ἢ θυάς” dicunt attributiones in Jovem Lucinamque accidere, ut deorum par illud siacerissimam fere divini numinis naturam ostenderet. Qua autem ratione etiam Juppiter olim Romani imperii symbolum a dea Aegyptia superatus est infra suo loco docebimus.

Si universae rei rationem habeas, eo potissimum Romanorum religionem a Graecorum differre liquet, quod tot tamque variis fabulis caruit, itaque verior priusque posteris tradita est. Homerus Hesiodusque Graecis deos deorumque cultus effinxerunt, et volentibus quidem, qui ad res divinas venustissima quaeque adhibenda esse censuerunt. Sed volubilis poetarum cogitatio quantum mali intulerit rebus sacris id Graecorum mythologia cognoscitur. Nam quum de rebus divinis cogitantes, quas invenierant veras sententias venusta specie tegissent factum est, ut neglecta rei scientia, speciem homines memoria retinentes perperam interpretarentur, eaque de causa baud raro nefasta scelera deis assignarent. Jam Dionysius¹⁾ ille, qui eruditione Graecus Romanae historiae operam impedit, quamvis sententiae implicitus esset quasi originem graecam duxissent Romani, bene tamen distinxit fabulas populo Quiritium innatas ab adventiciis doctrinis; vel, quod ipse dixit, auctorem civitatis Romanae illa quae falsa et ne homine quidem digna de deis narrentur a civium animis remota habuisse putavit. Nam quod de Coelo a filiis execto, de Saturno qui liberos devoraverit, de Jove qui Saturni patris regnum solverit eumque Orco oppressum tenuerit, tradant poetae nihil apud Romanos inveniri, neque quidquam audiri de bellis et pugnis et vulneribus deorum. Neque luctum mulierumve ululatum ad sacra adhibere nec per vigiliis mulierum et virorum in fanis uti Romanos, sed sancte pieque eos de numine sentire. Ars facile religionis notitiam opprimit, oppressa ad mollitatem dicit: qua re jam Plato philosophus paullo severius my-

¹⁾ Antiquitatt. Romanarum libro II. c. 18 et 19.

thos, qui non honesta deis laudarint e civitate removit, sicuti Aristoteles¹⁾ adolescentes ab incestis quidem deorum cultibus arcendos censuit. Artissime religio cum teto reipublicae statu conciliata erat, illa re vera ad fulciendam quasi civitatis molem utebantur. Propriam tamen Romana religio sui simplicitatem servavit donec trium quae Varro²⁾ distinxit theologiae generum, mythicum scilicet, physicum, civile, priora duo Romanos latebant; physicum enim simul cum mythico genere a Graecis Romanum allata sunt. Ingens quae fere omnes extinxit sacras doctrinas, quaeque antiquos mores variavit mutatio Graeca eruditione Romanam introducta effecta est. Primis fere quae Romanorum poetae ediderant carminibus Graecorum simul mythologiam civibus porrexerunt; quae quum cogitationi magis conveniret atque qualibet arte jam exulta esset omnium animos cepit, antiquos patrios deos oblivione deuersit. Sed neque haec, plane variata religio hominum animis infixia mansit, quae ipsa veluti subrosa Romanis allata est. Mox enim Ennius auspice P. Cornelio Scipione Africano, qui cum animo tam forti graecae doctrinae stadium jasserat, tragoeidas Euripidis nonnullas in Latinum sermonem conversas in scenam produxit, summoque civium plausu hos versus edidit:

„Ego deum genus esse semper dixi et dicam Caelitum
Sed eos non curare opinor quid agat humanum genus.”
Gaudent homines si quis composita olim ac per multos

¹⁾ Polit. II. 8.

²⁾ Varronis sententia de religionis vel theologiae generibus Augustinus nobis tradidit in libro de civitate Dei VI. c. 5; quocum consentit Plutarchus de placitis philosophorum libello, qui τὸ μυθικὸν, τὸ φυσικὸν, τὸ πολιτικὸν γένος discernendum statuit.

annos pietate quadam sancita concutere audeat; libenter repugnant dummodo aliquis praeiverit potestati quam autea pavore quodam suspexeraut. Sed et M. Porcius Cato constantissimus ille prisci moris et disciplinae cultor nova eruditione celerrime diffusa eo redactus est ut jam senex factus Graecum sermonem sibi ediscendum esse existimaret. Graeci enim paedagogi juvenes Romanos philosophia erudiebant, quae ex eo tempore, quo tres philosophi Romam legati venerant magna cum cura colebatur; et Scepticorum quidem et Stoicorum eorumque qui Epicurum sequebantur doctrinam valde adamabant Romani. Neque mirum est nobiles, omnesque qui lautiore eruditione insignes fuerint, Graecos magis quam Romanos fuisse videri; Graeca enim poësi de rebus divinis doctrinae, cetera disciplina philosophorum sententiis imbuti erant. Quae res eo pervenit, ut patriae amore excitus vir exsisteret, doctrina insignis, qui urbis antiquitates quum sacras tum civiles civibus illustrandas sibi proposuit, ne ii peregrini viderentur in patria. Sed hic etiam nonnumquam errabat, tanto enim opere instituta antiquitus facta neglecta erant.

Philosophorum praecepta, quum multitudo ea non intelligeret, prope noxia habere possis; neque quid vulgo de philosophis senserint homines nos latet, quum Cicero¹⁾ in opinione positum esse traderet eos qui philosophiae dent operam, non arbitrari deos esse. Attamen hominum turba, quae philosophos haud raro fortitudine animi excellentes suspexerat non multo post sententias illorum, non intellectas, sibi conciliare coepit, vel maxime quum

¹⁾ Cic. de invent. lib. I. c. 29 extr.

prisca religio quasi serva reipublicae regendae haberetur,
eaque saepius partium duces abutarentur.

Quid magistratus, quid senatus fecerint, quum tantum
reipublicae immineret detrimentum, jure quaesieris.. At
quas quisque veras haberet rerum sacrarum non curabant,
sed ut prisco more fierent id summa perseverantia exige-
bant. Saepius igitur aedilibus negotium datum est, ut
animadverterent ne qui nisi Romani dii, neu quo alio
more quam patro colerentur, quod Livius historiarum libri
quarti c. 30 memoriae tradidit, quum cives pesti graviter
oppressi peregrino more ad conciliandos deos sacra in-
stituissent. Iterum senatui summa severitate renitendum
fuit piaculis novo modo iustitiae altero quod Poenis intu-
lerant Romani bello: „quo diutius enim trahebatur bellum,
et variabant secundae adversaeque res non fortunam ma-
gis, quam animos hominum, tanta religio et ea magna ex
parte externa civitatem incessit, ut aut homines, aut dii
repente alii viderentur facti ¹⁾). Nec jam in secreto modo
atque intra parietes abolebantur Romani ritus, sed in
publico etiam ac foro Capitolioque mulierum turba erat,
nec sacrificantium nec precantium deos patro more. Sa-
crificuli ac vates ceperant hominum mentes.” — „Primo
secretae bonorum indignationes exaudiebantur, deinde ad
patres etiam et ad publicam querimoniam excessit res.
Incusati graviter ab senatu aediles triumvirique capitales
quod non prohiberent, quum emovere eam multitudinem
e foro ac disjicere apparatus sacrorum conati essent, haud
procul afuit, quin violarentur. Ubi potentius jam esse id
malum apparuit, quam ut minores per magistratus sed-

¹⁾ Livii historiarum lib. XXV. c. 1..

retur." Neque hoc semel evenisse, ut sacra a peregrinis liberarentur apparatibus idem, quem modo laudavi auctor¹⁾ prodidit. „Quoties, inquit, hoc patrum avorumque aetate negotium est magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent, sacrificulos vatesque foro, circo, urbe prohiberent, vaticinos libros conquerirent comburerentque, omnem disciplinam sacrificandi, praeterquam more Romano abolerent?" — Namque eo, et qui liberius de rebus divinis judicariunt, eo omnes consentiunt, retinendas esse, non quia verae putari deberent, sed propter utilitatem divinas institutiones²⁾). Clarissimis verbis enim Cicero sententiam protulit, Deorum metum homines mansuetos reddere eorumque superbiam ac petulantiam reprimere, qui libro de legibus c. 7 scripsit: „Utiles esse autem opiniones has, quis neget, quum intelligeret quam multa firmentur jure jurando, quantae salutis sint foederum religiones, quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit, quamque sancta sit societas civium inter ipsos, diis immortibus interpositis tum judicibus tum testibus." Idemque ille Cicero, qui auguriis tam salse riserat in augorum collegium se cooptari non vetuit. Sed haec fuit illius temporis ratio, ut quae antea riserant suo loco accuratissime perficerint sacra, ne populi turba una cum saeculis temere et reipublicae legos contempnere consuesceret. Quo factum est ut deis inferis summa pietate immolarent, qui jam, nisi in poetarum cogitatione, nulli fuerant. Jamque

¹⁾ Liv. XXXIX. c. 16.

²⁾ Hoc enim Varroni visum est, narrante Augustino de civit. Dei lib. IV. 31, neque minus Maecenati, quem Augusto consulentem introduxit Dio Cassius historiarum libro LII. c. 36.

coram judicum populique concione Cicero, summae auctoritatis vir, cui intempestivam in rebus divinis licentiam reprehicare non potueris, oratione pro Cluentio habita, quid tandem mali, inquit, illi mors attulit, nisi forte ineptus ac fabulis ducimur, ut existimemus, illum apud inferos impiorum suppicia perfere? Hujusque simile dictum in Tusculanis quaestionibus (l. c. 5) invenies, ubi postquam allatis poetarum locis orcum adumbravit auctor, adeone, exclamat, me delirare censes, ut ita esse credam? ¹⁾)

Illa vero de orci conditione doctrina ea potissimum aetate orta esse videtur, qua homines sua specie tanto opere oblectabantur ut eam, dum modo levem umbram servarent, apud inferos in aeternum futuram esse contenderent, qua (quod vetustissimis quoque signis intelligitur, in quibus corporis venustas summa diligentia exulta est, dum voltus ingenii quasi speculum omnibus idem est) plastica, venia sit verbo, ratio maxime vigebat. Quod omnino antiquissimis temperibus fuisse Aegyptiorum quoque docet mos, qui mortuorum corpora condiebant, quae diutius servarent. At ex quo Anaxagoras insigni sua doctrina ingenii naturam praestantiores esse quam materiam contendebat, leves illae umbrae ex hominum cogitatione paulatim expulsae sunt. Animus post mortem superstes tunc credendus erat, nisi quis omnia extingnere

¹⁾ cf. Cic. de N. D. II. 2. Caesaris sententia in Sall. Catil. bell. cap. 51 et Juvenal. sat. II. V. 149.

Esse aliquos manes et subterranea regna
Et pontum et stygio ranas in gurgite nigras
Atque una transire vadum tot millia cymba
Nec pueri credant nisi qui quondam aere lavantur:
Sed tu vera pata! —

mortem putare mallet. Talem autem, quae animos per-
mulceret fiduciam appetebant homines, maxime quum sae-
yentibus bellis civilibus tot tamque egregii viri frustra
vixisse viderentur. Nam ex Sulla et Marii temporibus
crebris tumultibus vexata respublica ad novam quandam
sui conditionem inscia niti videbatur, quo nisu multi ad
exitium ducti sunt, pluribus se perditum iri metuendum
erat. Itaque libenter doctrinam quae dum futurae felici-
tatis tam desideratam fidem paeberet amplexi sunt. Haec
vero Isidis mysteriis initiatis quum aperta tum variis sym-
bolis occulta exponebatur. Aegyptii autem sacerdotes
Sulla temporibus Romam venerunt, et exinde Deae fir-
mam condiderunt sedem.

Respiciendum est porro, quod antea diximus, sacrorum
ritus jam nihil ad hominum vitam valuisse, sed quodam
modo obtorpuisse, quo effectum est, ut magna ex parte
riderentur. Nam gens illa priscis suis rusticis deis vilia
dona vasis fictilibus mensis obsoletis imposita dedicare
pergebat, dum ipsa jam caelatis vasis utitur, mensisque
citreis ipsa accumbit. Quid mirum, si deos paulatim
necligere atque contemnere coepit. Accedit ut deorum
potentia, quamque tam solidam putaverant, tutela nonnun-
quam deficere videretur; accedit porro ut Jove ejusque
aegirio, uti apud Homerum deorum hominumque patrem
tum Junoni Minervaeque Argivos tuentibus tum Veneri
Dardanis consulenti morem gerentem legimus, simili modo
utraque pars, optimates et populares uterentur, ad mu-
nienda et perficienda sua consilia. Qua quidem ratione
optimates plebis comitia Aelia et Fufia legibus saepe nu-
mero turbaverant, quae, tribunicio furori „firma impedi-
menta“ videbantur, donec Publpii Clodii studio, quod M.

Talius graviter conquestus est¹⁾), abolitis illis legibus plebis comitiorum impedimenta omnia remota sunt.

Sacris igitur magistratum diligentia et cura servatis ab animorum tota cultura jam alienatis, auctoritate religiosis debilitata, deorum numinis indicis partium malignitate turpiter in suam rem conversis necessario factum est, ut omnia antea de rebus divinis dicta atque vera credita abjicerentur, utque homines ad rerum primordia redire conarentur. Exemplum hic adjicere videtur, quo haud contemnenda lux afferri potest, ex historia medii aevi adhucum. Quum enim ab ecclesiae principibus omni atque severitate dogmata protegerentur, quae magna ex parte philosophorum ratio frustra suscepserat explicanda, multi, ecclesiae praceptis omnino rejectis naturae studium petiere, quorum Vaninius quidam, vir Italus libellum edidit, cui „de miris reginae et deae mortalium, Naturae mysteriis”, titulum inscripsit. Ad eandem vero reginam, deamque mortalium reduces facti sunt olim Romani, qua via jam Lucretius processerat poeta, quamque philosophia singulis indicaverat. Et Naturam deam colebant Aegyptia mysteria; quod alterum momentum est quo Isidi summum animorum imperium vindicatum est.

Uno numine mundum gubernari philosophi contendebant, ex quo Xenophaneum illud, attributione „τὸ ξράτιον” innixum plures deos esse non posse demonstravit. Scepticorum autem doctrina Romana cum gravitate parum congruit, nec magnam auctoritatem adepta est, eo potissimum, quod mox argutiis atque captionibus, rebus ad-

¹⁾ Cic. in Vatinium: Lex Aelia et Fufia, quae leges saepe numero tribunicios furores debilitarunt et represserunt.

modum vilibus operam impedit. Epicuri ratio felicium magis quam mortalium iā rebus arduis non valuit ad placandas hominum animos; nam si „quae super nos, nihil ad nos” quod tandem refugium petendum imbecillie quibus non voluptates sed labores assignaverit Fortuna? Constantiam servare in rebus adversis, Zenonis praeepta decebant, eaque de re a Romanis non solum summo studio recepta sed etiam exculta sunt. Non minorem de rebus divinis ratio Stoica tulit plausum, quae sententia sua late diffusis maxime accommodata est. Cetera Stoicorum placita a nostro loco aliena praetermittimus quidem sed quae de numine senserint, breviter disserturi sumus. Legem illam, naturae rerum insitam, nunquam mutatam numen esse statuerunt, quod omnia moderetur. Atque quoniam mythologiam eo servare studerent ut deorum personas Naturae quasdam vires et effectus significare dicearent¹), ea ipsa opinione ad illam doctrinam tendebant. Zenonem legem, qua mundus moveatur atque varietur, numen putare Cicero affirmat, quod quae legi consentanea sint jubeat, vetet fieri contraria; alio loco eundem rationem quandam per totum diffusam statuisse tradidit mundum atque divina potestate praeditam. Consentit non minus Lactantius qui haec de Zeponis doctrina scripsit²): Hunc sermonem ne philosophi quidem ignoraverunt, si quidem Zeno rerum naturae dispositorem atque opificem

¹⁾ Lactant. Instit. divin. I. 21. Ob has rationes Stoici aliqui versus deos interpretantur, et quod non provident quid sit in verò, conantur eos cum rerum naturalium ratione conjungere — quae res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos et superstitiones paene aniles.

²⁾ Lactant. I. I. IV. 9.

universitatis „λόγον” praedicat, quem et fatum et necessitatem rerum et deum et animum Jovis nuncupat; ea scilicet consuetudine, qua solent Jovem pro deo accipere. Ridet vero Tertullianus Stoicum illud in libello ad Hermogenem scripto ¹⁾), qui Stoicos, inquit, velle deum sic per materiam decurrisse quo modo mel per favos. Ne plura: animantem eundemque rationis praedicabant omnipotem mundum. Quam arte haec philosophorum doctrina cum mysteriis conjuncta sit hoc neminem fugiet; quam vero Caesaribus summam potestatem adeptis frequenter Zenonis schola assecelas haberet, non mirum est, quod pretinus mysteria crescerent.

Habemus igitur, qua re necessario factum sit, ut Isidis cultus tam brevi tempore, saepenumero magistratum severitate oppressus, non solum Italiam sed totum Romanum imperii orbem pervaderet, et quidem ut brevi omnia complectemur argumenta, sacrorum abjecta scientia, discidio quod intercesserat inter philosophorum doctrinas et religionem, animorum propensione ad venerandum, quem magis cognoverant, mundum, quique aliae naturae effectus indicavit.

Neque tamen eo pervenerant veteres ut rem quam nullo sensu sed cogitatione tantum et mente complectimur tractarent; sed ut ipsam naturam omnium rerum causam efficientem principiumque Isidis nomine expresserunt, ita praceptoribus quoque magnam partem imaginibus adumbratis divinationem excitarunt; quae res non minus homines allexit.

Nec non alia Isidis cultum fovebant momenta, quae

¹⁾ Tertull. ad Hermog. lib. cap. 44.

casu magis accidisse dixeris; namque mysteriorum origo, quum Aegyptum miraculorum matrem quodam modo admirari homines solerent non parvi momenti habenda est. Purissimam porro religionem servasse videbantur Aegyptii¹⁾, qui cum perigrinis convictum diu vitarunt. Tamen illa mysteria nostrae quam tractamus aetati parum consentanea fuissent, nisi Graecorum eruditione, sub Ptolemaeorum imperio fota, ad Romanos translata essent perfecta. Nihil tamen hoc loco dicendum esse putamus, de vi quae semper mysteriis fuerit in hominum animos, nihil de durissimis temptationibus quas superaverint tirones oportuit, quae cognoscendi cupiditatem ad extremum inten-debant.

Gravissimas quidem causas modo exhibuisse videmur, unde factum sit, ut tam brevi tempore in orbe Romano considerent Aegyptiorum sacra. Jam eo pervenimus ut eorum historiam, quantum ex scriptorum mentionibus un-dique collatis fieri possit, tractemus.

Isidis sacrorum duas discerneret aetates; alteram qua vetusto more conficiebantur, quaque summa diligentia ne quid peregrinorum rituum seu praceptorum admiseretur, cavebant Aegyptii: alteram qua admodum commutata apparent, introducta Graecorum disciplina. Istam quidem aetatem non mihi proposui tractandam, nisi quid obiter

1) Quod jam Herodoto visum est, qui omnium sacrorum originem ex Aegypto duxit cf. lib. II. c. 58 et 82.

tangamus necesse sit. Quum enim ea ad illustrandum Isidis cultum, qui apud Romanos quidem fuerit, nihil valeat, atque recentissimis virorum doctorum quae tamen nondum ad finem pervenere quaestionibus tam multa invenirentur, quibus pleraque ante hac vera credita admodum dubia fierent: hoc unum constare videtur, sacerdotes omnes qui Aegyptum ad res Aegyptias cognoscendas peragravit maligno quodam gaudio mendaciis fefellerint, quo factum sit, ut omnes fere qui eam descripserint auctores eandem rem alio modo memoriae traderent. Accedit quod Graeci volubili illa ac levi mente omnia sibi arripientes sua ratione variaverint. Namque mihi persuasum est Isidis cognomine Phariae nihil aliud indicari ac regiam deae protestarem; quod tamen cum vocula „φαρος” ita contulerunt¹⁾ Graeci, ut eam veli navigiique inventricem laudarent, eamque fautricem nautarum primum deferrent Corinthum. Neque dubium mihi videtur, quin jam Amasi in Aegypto regnante, qui omni generi cum Graecis mercaturae favebat, patrii cultus peregrinis paullulum permixti sint, quod certe evenit Ptolemaeorum tyrannide. Macrobius²⁾ enim sententiam, post Alexandrum Magnum Ptolemaeorum tyrannide pressos Aegyptios Saturnum quoque et Serapim in cultum et quidem Alexandrino more recepisse esse coactos, eodem jure omnino de Aegyptiorum sacris dictam putaveris; nam quum Alexandria fere Graeca urbs facta esset, „Alexandrino more” tanquam Graeco more dixisset Macrobius intelligi licet.

¹⁾ Inveniuntur in Zoegae nummorum Aegyptiorum collectione signa numorum nonnulla, in quibus Isis manibus velum pandens apposito pharo conspicitur.

²⁾ Macrob. *Saturnal.* I. c. 7.

Herodotus autem testis est Isidem Osiridemque reliquis Aegyptiorum deis antecelluisse¹). Neque minus Iside inferior fuit Osiris, qui deae conjunx apponi solebat; nam omissa Iside Osiridis sacra fieri non poterant, atamen Isis, neglecto Osiride; quod etiam denique factum est, ut Osiridis paene obliscerentur. Vetustissimi Aegyptii, auctore Diodoro Siculo, Solem et Lunam, quorum istum Oairim hanc vero Isidem appellabant venerati sunt. Ea vero prima gentium religio putanda est, qua sidera pro deorum numine coluntur imprimisque lunae nocturnam lucem summum mortuorum imperium tenere docetur; Aegyptios autem primos omnium fuisse, qui animos corporibus superstites fore docuerint idem Herodotus tradidit. Qua quidem sententia in mysteriis summo cum studio utebantur sacerdotes. Si modo vetustissimam hanc doctrinam habere liceat, cetera quae postea adjecta sint facilime discernimus. Nam quod idem ille Macrobius singulis narravit locis, seu Isidem terram esse²), vel naturam rerum soli subjacentem, seu libri saturnalium I. cap. XXI: Isidem nihil aliud esse ac terram naturamve rerum, hoc recentioris aetatis indicia ostendit quam tam universam de numine sententiam nemo sit qui vetustissimis tribuerit Aegypti incolis. Isian tamen majore coluerunt pietate, quod luna, vel maxime hominibus tam ardentи soli subjectis, saluberrima lux appareat, quae humidae noctis fax rores fundere videatur. Neque ab hac nostra sententia Plutarchi dictum discrepare videtur³):

¹) Herod. II. 42.

²) Macrob. Saturn. I. xx. fin.

³) Plut. de Iside et Osiride p. 367.

„Τὴν σελήνην γόνιμον τὸ φῶς καὶ ὑγροποιὸν ἔχουσαν
εὐμενῆ καὶ γονᾶς ζώων καὶ φυτῶν εἶναι βλαστήσει”.
Quum porro etiam Nili fluctus videretur augere, ne siliens
terra ardentissimo sole plane exureretur, ea non minus
opinione Isidis crevit auctoritas. Plutarchus ille qui Tra-
jani Hadrianique auspiciis operam impendit literis doctrin-
nas de Iside et Osiride libello compositas edidit, quae
quidem editio ex eo originem duxisse videtur quod tam
late Hadriano Caesare diffusa essent sacra deae Aegyptiae.
At libellum illud aegre perlegenti persuasum erit aucto-
rem omnium temporum diversas sacerdotum sententias
contulisse, omisso judicio quid prius fuerit, quidve re-
centiore interpretatione sine rei notitia aggestum sit, ita
ut facile credideris auctorem ipsum latuisse quae vera
accienda traderet, rejiceretque vetusta omittenda. Nisi
enim discriminem quod intercessit inter eam aetatem, qua a
Aegyptus suis legibus administrabatur eamque qua a
peregrinis regibus oppressa tenebatur cognoveris, sacra
quomodo mutata ejusque temporis philosophiae adaptata
sint, non intelliges. Constat autem Graecam eruditio-
nem Ptolemaeorum studio introductam, eaque antiquam
Aegyptiorum naturam rejectam et paene extinctam esse
illis locis, quibus Graeci accolae insiderent. Exinde
nummi Aegyptii Graecis literis exstructi sunt, nummorum
imagines Graecorum spectant theologiam. Saepissime
enim Cererem in nummis excusam adspicimus, quae non
tanto opere discrepuit a naturae cultu qui illic fiebat.
Haud raro quoque vides Isidis dracones, quos dicunt
agathodaemones in nummo depictos, cristis suis ornatos
vehentes currum, in quo Cereris positus est calathus spi-
cis papaverisque capitibus refertus. Recentiores Aegyptio-

rum sacerdotes philosophi Graecorum dogmatibus jam vehementer imbuti, in una Iside ceterorum deorum fere omnia attributa et proprietates agnoverunt et religiose coluerunt. Et postquam de Iside tradere consueverunt quod Graecorum viris sapientibus de numine placuit etiam Graeciae sacro, factum est ut dea illa in urbes Graeciae permultas introduceretur, quarum urbium nomina Pausanias doctissimus Graeciae pervaagator posteritati servavit.

Corinthii qui jam pridem frequentissima insignes erant navigatione eaque cum plerisque gentibus convenerant atque plerasque peregrinas terras viderant, duo habuerunt Isidis fana, quorum altero sententia a me supra proposita confirmari videtur, Graecos enim nautas deae personam plane diversam fecisse ab ea quae sancta fuerit Aegyptiis. Sunt enim duo Isidis fana posita ad viam, qua Acrocorinthum petere solebant Corinthii¹⁾), alterum Isidi Pelagiae sacrum alterum Aegyptiae. Admodum mirabilis exstitit sane nominum distinctio. Nam quid sibi voluerit Isidis cognomen Aegyptiae, quum et Pelagia ex Aegypto originem duxerit, non intelligo. Dictum est certe nomine illo Pelagiae Isidem Corinthiis sacram aliam esse quam quae apud Aegyptos divino honore affecta sit. Hoc autem sine dubio accipiendum erit, Pelagiam Isidem in terra qua orta sit, adoratam non esse; nam quid Aegyptiis cum mari qui pavore quodam navigium in altum vitabant, neque Nechois regis ardentiissimo studio eo perduci potuerunt ut navigandi arti incumberent. Manifestum ideo

¹⁾ Paus. II. 47. Ιερὸν Ἀκροκόρινθον τοῦτον ἀνιστάντιον ἐπὶ τὸν Ισιδός τεμένη, ὃν τὴν μὲν Πελαγίαν, τὴν δὲ Αἴγυπτίαν αὐτῶν ἐπονομάζουσιν.

mihi videtur Aegyptios a navigi⁹ tam alienatos deam illam quam principem colebant, neque nantis faventem credisse, neque marium temperantem fluctus. Cognomen igitur Pelagiae a peregrinis inventum deaeque datum sit necesse est¹⁾). Atqui jam supra conjecturam proposui, qua ratione deae istam adjectam putaverim notam. Neque est quod dubites quin non errore Phariae cognomen cum „φάρος” vocula comparatum eaque comparatione nova Isidi nota illata sit, qua fluctus temperare velā navesque invenisse²⁾) nautas tueri crederetur. At ne putas sacerdotes Aegyptios contra opinionem illam Graecorum dixisse; imo confirmabant. Invenitur tamen saepius in monumentis Isis in navicula insidens, neque ab incolis „mater in scapha” non vocabatur: quam rem alii alio modo explicare conati sunt. Quum autem monumenta exstarent, in quibus sidera effecta videntur, ubi et sol ceteraque stellae naviculis vehuntur, Isidis propria navis non esse videtur, sed quae omnino sideribus imago adjici soleat. Jamblichus denique de deis Aegyptiorum libro navicula, quam Isis regeret significari mundum censuit, quem pari modo deae numen gubernaret. Nautarum igitur patrona apud Graecos culta est in primisque Corinthios, quam sibi propitiam facere studebant magno apparatu Isidis navigium celebrantes, eo quidem tempore, quo

Solvitur acris biems grata vice veris et favoni

Trabuntque siccas machinae carinas.

¹⁾ Hygin. fabul. 277. Velificia primum invenit Isis; nam dum quaerit Harpocratem filium rate velificavit.

²⁾ Invenitur nonnunquam Isis in nummis Aegyptiis Caesarum aetate excusis velum manibus pandens, cf. Zoëga nummi Aegypti.

Et quidem per tria quatuorve saecula quotannis haec sollemnia facta sunt, quum Lactantius istius deae navigium ejusmodi mentionem fecerit, ut ad suam usque aetatem celebratum esse pateat¹). In ceteris quas Pausanias enumeravit urbibus nihil de Pelagia Iside, sed fana refert istius deae, quam Aegyptii divino honore affecisse videntur. Quaeris fortasse qua re Pelagia ab Aegyptia distincta sit. Ea primum ut illa quod nomine jam intelligitur Græca, haec autem Aegyptia haberetur. Quantum porro ex alio quodam auctoris nostri loco conjici licet², Aegyptia Isis deis inferis adscripta erat, cuius signum nisi sacerdotibus conspicere nefas habebatur, cuiusque adytonaibus interdictum erat nisi quem per somniorum visa sibi præ ceteros delectum advocasset. Pausaniam non fugit hunc inferum deorum esse morem, quum adjiceret³): τὸ δὲ αὐτὸν καὶ ἐν ταῖς ὑπὲρ Μαιάνδρου πόλεσι ποιοῦσιν οἱ καταχθόνιοι; namque in paludosa Maeandri regione Dianae Ephesiae fanum fuisse constat, cuius vetustissimum mammosum signum ad almam Naturam spectare videbatur. Homini cuidam, qui profanus in Isidis templum Tithoreae exstructum intravit, ingresso omnia „εἰδώλων” vel lemurum plena visa sunt teste Pausania qui sine dubio hanc sibi a sacerdotibus narratam fabulam memoriae prodidit, qua saltem vulgi de deae natura sententia intelligitur. Non temere igitur contendorum Isidem Aegyptiam dictam, in Graecia deis inferis adscriptam esse.

¹) Lact. Institut. div. I. c. II. Quo igitur argumento probari potest nec Europam in tergo sedisse nec Jo factam bovem? Quod certus dies in festis habetur quo Isidis navigium celebratur.

²) Paus. X. 32. 9.

³) Paus. I. I.

Qua quidem sententia probata pari jure contendere licet Pelagiam in Graeciae urbes Aegyptia priorem receptam esse, quum paucas si exceperis urbes Graecia dummodo priscum vigorem non amiserint inferorum deorum cultus non essent grati. Megaris autem, Phliunte, Troezene ejusque proximo in oppidulo Methanae Isidia invenit tempia doctissimus ille Graeciae antiquitatis indagator, quas magna ex parte Isidi Aegyptiae *sacra fuisse* videntur; ea saltem, quibus deae signa ita erant occulta ut nemini numinis contingere conspectus. Neque tamen hoc praetermittendum puto, quod omnes quas modo laudavimus urbes oppidulaque in eodem fere Graeciae angulo compositae sint, ita ut credere possis Isidis cultum non tantum in Graecia valuisse quantum apud Italos; quas urbes quum circa Corinthum fere omnes sitae fuerint, ab ea sacra illa accepisse verisimile est. In Methanae oppidulo nihil memoria dignum invenit Pausanias nisi Isidis fanum, quod unicum oppidi fanum fuisse videtur.

Maxime autem floruit Isidis cultus Tithoreae, Phoenicium in urbe, qua fanum sanctissimum omnium quotcumque Graeci fecerunt deae Aegyptiae maxime celebrabatur; quem cultum, quum simillimus ejus quem Romae postea fecerunt videatur, accuratius tractandum censui. Dea enim Tithoreae ager addictus erat, fanumque exstructum in quo *sacra fiebant*. Neque circa fanum habitare fas ducebant, neque cuiquam aditus patebat nisi a dea somniis vocato. Eis verum, quibus intrare fas erat, ante dies festos lustrandum erat arcano ritu adytum. Namque bina quotannis sollemnia Tithoreenses instituerant, alterum vere factum, alterum autumno quibuscum festis junxerant nun-

dinas. Quod permirum nobis traditur, id est, ut animalia deae immolare solerent supplices; qui quidem mos tantum ab Aegyptiorum doctrina discrepat, ut si quis animal necaverit eum capit is damnarent. Hoc facile discernere possumus indicio Aegyptiorum sacra, quae Graeci suo more variabant, ab illis quae mera servata sunt absconditis in Aegypti locis, quo Romana irrumpere non valuerat eruditio. Lautiores autem Tithoreae cives boves et cervos immolabant anseres aut meleagrides aves pauperes. Haec, quae tam vilis fortasse videtur mentio, hoc saltem docet, Isidem non a proceribus tantum adoratam esse sed summo studio a multitudine quoque, quam etiam Romae sacrorum Iiacorum quam diligentissimos invenimus asseclas. Summam vero potestatem adeptos esse Isidis sacerdotes mox erit perspicuum.

Tamen maximo mihi fuisset gaudio si mihi contigisset viam indagare, qua sacra ista pervenerunt Romam; at quam omnino scriptorum deficiant traditiones, tantum conjicere licet, quod argumentis firmari non possit. Non enim si alia quaedam plana fit via, qua Iiaci sacerdotes Romam sint profecti, ex Aegypto credendum mihi videtur in urbem pervectos esse, quum illa admodum adhuc reclusa esset Romanis. Mercatura enim qua Itali cum Aegyptiis utebantur inde ex Caesaris temporibus aucta est. Constat autem Sullae contra Mythridatem Ponti regem exercitum in Graeciam cum rege illo magnam partem foedere junctam bellum ferentis apud Tithream castra fecisse¹⁾). Neque minus patet sacerdotes agnina solere subsequi, quia tutiores ita sibi videantur. Quid igitur

¹⁾ Plut. Sulla c. 15.

verisimilius quam ut a Sullanis qui sine dubio mysteria modo cognita valde amarant militibus ab omni impetu tecti in urbem pervenerint, praecipue quum Sulla dictatore prima Isiaci cultus vestigia exorirentur. Tamen iterum notandum mihi videtur, hanc meam conjecturam minime tanquam vera sit laudem affectare; satis erit si modo non nimis temere facta videbitur.

Romas autem initio paucos habebat hospites dea advena; neque tamen multo post tantam in urbe auctoritatem nacta est, ut senatui videretur deae templa diruenda esse, qui summa jam diligentia curabat ne peregrini propalam instituerentur ritus, nisi a se publice introducti. Non enim tot annis postquam Romam pervenerant Aegyptia sacra repulsa essent, nisi privato primum culta studio tunc demum in lucem temere producta essent, producta vero civitatis concussura esse viderentur firmam conditionem. Anno igitur 695 urbis conditae, a. C. n. 59 Senatus auctoritate nisi Piso et Gabinius Coss. Aegyptia represserunt sacra: quam rem gravissimam tradidit Tertullianus quum libro apologetico suo ¹⁾ tum ad nationes scripto libello, quorum altero quidem: Serapem, inquit, Isidem et Harpocatrem cum suo Cynocephalo Capitolio prohibitos inferri, id est curia deorum pulbos Piso et Gabinius Coss. non utique Christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium et otiosarum superstitionum vitia cohibentes": idemque spectat ad nationes libro I. c. 10²⁾:

¹⁾ Tertull. apologet. c. 6. edit. Havercamp. p. 74.

²⁾ cf. et Arnobius quid dixerit adv. nationes II. c. 73: Quid vos Aegyptia numina, quibus Serapis atque Isis est nomen, non post Gabinium et Pisonem coss. in numerum vestrorum retulisti deorum?

Ceterum Serapem et Isidem et Arpocratem et Anubim prohibitos Capitolio Varro commemorat, eorumque status a senatu dejectas non nisi per vim popularium restructas. Sed tamen et Gabinius Consul Kalendis Januariis cum vix hostias probaret prae popularium coetu, quia nihil de Iside et Serape constituisset potiorem habuit Senatus censuram quam impetum vulgi et aras institui prohibuit". — Utrique huic Tertulliani narrationi magna sane auctoritas tribuenda est, quum non solum miro modo consentiant, sed etiam fontem ex quo hauserit auctor indicaverint. Et quis porro auctor pluris Varro existimandus est; qui rem illam suae memoriae historiam scripsit. Notanda autem videtur dignitas qua florebant illorum saera, ut etiam Capitolium antiquam illam patrii cultus sedem ascendere conati sint; neque minus admiranda est vis quam magistratibus contra se agentibus opposuerint: nam ita iam invaluerant ut summa magistratum fortitudine opus fuerit ad rejiciendum mysteria tuentis impetum populi. Atque persuasum est mihi illis potissimum temporibus haud raro factionum consiliis latibulum fuisse Isiacum collegium, donec Caesarum imperium undique firmatum insidias factionum inattes atque vanas reddiderit. Neque desunt quibus hoc probare possim, quum Caesar mox collegia omnia distraherit, nec nisi Judaeis in urbe degentibus ut sacrorum causa convenirent concesserit¹⁾; atque postea, Augusto a. u. 733 Roma profecto, qui interea orti erant tumultus Agrippa oppressurus protinus Aegyptia sacra ex urbe pepulerit. Fortasse et quae Maecenatem Augusto de rebus

¹⁾ Josephus archaeol. Jud. 14. 17.

sacris praecipientem introduxit Dio Cassius¹⁾) hoc suo loco afferantur, ut ne peregrina sacra fieri concederet, quibus noui solum deos contemnere homines consuescerent sed etiam multi ad res novas pellicerentur moliendas, quo facto coniurationes gigni solerent et sodalitia, quae minime profutura essent imperio.

At jam paucis interpositis annis, L. Aemilio Paulo et G. Claudio Metello cos. (a. u. 704) iterum eo pervenerat, ut fana Aegyptiorum deorum quae homines privati sua pecunia exstraenda curaverant²⁾ publice delenda esse decreverit Senatus. Non eandem tamen qua antea Bacchalia sacra non modo ex urbe sed ex universa Italia expulerat, in sacra Aegyptia habuit potestatem; quum id quidem multitudini concedere cogeretur tumultu ut extra pomoerium fana habere licaret. L. Aemilii Consulis animo fortissimo patrum auctoritas servata est. Nam quum opificum nemo fana auderet attingere, ipse vir praetextatus posita toga securim arripuit arreptam templi foribus inflxit^{3).}

¹⁾ Dio Cass. lib. 52 c. 36. τὸ μὲν θεῖον πάντως ἀντός τα σέβον κατὰ τὰ πάτρια καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκας· τοὺς δὴ ξενίζοντάς τε περὶ αὐτὸν καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνων τῶν θεῶν ἐνεκα, ὡν καταφρονήσας οὐδὲ ἄλλον ἀν τυνος προπημήσειεν, ἀλλ' ὅν κανά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀν ἐσφέροντες πολλοὺς ἀναπειθούσιν ἀλλοτριονομεῖν. καὶ ἐκ τούτον καὶ συνωμοσίαν καὶ συστάσεις ἐταιρεῖαις γίγνονται, ἀπερ ἥκιστα μοναρχία συμφέρει.

²⁾ Dio. Cass. XL. c. 47. τοὺς γὰρ ναοὺς αθιῶν, οὓς ἴδια τινὲς ἐπεποίητο καθελεῖν τῇ βουλῇ ἔδοξεν. οὐ γὰρ δὴ τοὺς θεοὺς τούτους ἐπὶ πολὺ ἐνόμισαν, καὶ ὅτε γε καὶ ἐξενίκησαν ὥστε καὶ μημοσίᾳ αὐτοὺς σέβεσθαι, ἔξον τοῦ παμηρίου σφᾶς ἰδρύσαντο.

³⁾ Val. Max. c. III. § 3. L. Aemilius Paulus. cos. quum Senatus Isidis et Serapidis fana diruenda censisset, eaque nemo opificum attingere auderet posita praetexta securim arripuit templique ejus foribus inflxit.

Hoc a Consule ea ni fallor ratione factum, ut ostenderet deos Aegyptios civibus Romanis omnino non putandos esse deos, quum ne templum quidem violatum ulscisci possent, si modo patrii dii urbem populi Romani custudirent; non tamen eo valuit, quin secundo anno post dirutum Isidis fanum novum quoddam in urbe exstiterit. Et quum illius sacra apum examinibus perturbarentur, quae Capitolium circumstrepentia Herculis insidebant signo, tum sacrificulis cognito visum est omne omnia Isidis atque Sarapidis fana diruenda esse, quod quidem protinus est factum¹⁾). Neque G. Julius Caesar rerum potitus fieri passus est, ut Isiacorum collegia Romae convenirent; nam omnia collegia distraxit²⁾), quae jam antea saepius in reipublicae detrimentum conversa Senatus consulto L. Caecilio et Qu. Martio Coss. tollenda mandata a P. Cladio aura populari niso contra patrum auctoritatem sunt restituta³⁾). At quae magistratum constantia summoque eorum vitae et dignitatis periculo obolita erant, haec tres illi reipublicae administrandae viri, quo auram assequerentur popularem sua sponte introduxerunt; M. Antonius enim et Octavianus et Lepidus iterum societate juncti Isidi et Serapidi fana decreverunt⁴⁾).

¹⁾ Dio Cass. lib. 42. 26. μέλισσαι ἐν τῷ Καπιτολίῳ παρὰ τὸν Ἡρακλέα ἰδρύθεσαν, καὶ, (ἐπύγχανε γάρ οὐρα "Ισιδὶ τότε γιγνόμενα) ἔδοξε γνώμη τῶν μάντων πάντα αὐθις τὰ τε ἔκεινης καὶ τὰ τοῦ Σαράπιδος τεμενίσματα κατασκάψαι.

²⁾ Suet. Jul. Caesar.

³⁾ Cic. pro Sextio 25.

⁴⁾ Dio Cass. I. 47. c. 15 extr. τὸν μὲν οὖν ἐνιαυτὸν ἔκεινον ταῦτα τε οὕτως ἐποίησαν καὶ νεών τῷ τε Σαράπιδι καὶ τῇ "Ισιδὶ δημητρίσαντο.

Hoc facto tanquam civitatem adepti sint, Romae fuerunt
dei Aegyptii. Mira quidem sors erat Isiaci cultus, quippe
qui non solum piis animis praebuit solatum, sed etiam
a primis quibus Romae consederat temporibus variis fa-
vebat celandis sceleribus. Namque Isidis de templo di-
cere possis quod salse de Pasiphaa meretrice cecinit Ar-
chilochus¹⁾:

Συκέη πετραῖη πολλὰς βόσκονσα κορώνας.

Nec quemquam a fano arcebant sacerdotes, si modo de-
derit dona eiusque opera sacra propagari possint. Itaque
et multorum libidini inserviebant, ne dea scilicet ejus
potentiam tanto opere venerebantur ulla in re videatur
deficere; animis ideo amoris impetu afflictis eo ut satis-
facerent cupidini medebantur. Quid quod artis amatoriae
poeta dilucidis verbis Isidis iuvenibus commendaverit le-
nocinium²⁾:

Neu fuge linigerae Memphitica templa juvencae

Multos illa facit quae fuit ipsa Jovi
aliove loco:

Nec tu linigeram fieri quid possit ad Isin
Quae fieris

At quis nescit poetis lyricis vario modo arcana pe-
ctoris desideria celebrantibus Isidis fanum admodum tritum
fuisse; quis non novit Juvenalis clarissimam qua mysteria
acerbissima impugnet objurgatione saturam? Turpissimum
autem quocunque a sacerdotibus crimen est commissum
Flavius Josephus Vespasiani libertus historia quam de
bello Judaico scripsit tradidit memoriae. Quum enim Tiberio

¹⁾ Athen. XIII. 594. B. sqq.

²⁾ Ovid. A. A. I. 77.

Caesar Mundus eques Romanus flagranti arderet alienae et quidem pudicissimae uxoris amore, nec ulla ratione sperare possit fore ut quem vehementer petebat assequetur finem, Isiacos sacerdotes data pecunia sibi conciliavit. Hi quidem protinus feminae mentem fabulis coepertunt irretire, quo facto deum Anubim ejus amore captam simulant exegisse ab ea fani incubationem. Qua nefanda fraude capta est pudicitia. Ne tamen ultiro facinus illud disseramus scriptoris locum laudatum proponimus¹⁾), quo fabula illa gaudio quedam tractata esse videtur, quam auctor libelli quo facilius cives suos innocentes ostenderet, ceteris voluptate quadam crimina videatur objurgasse. Sed hoc etiam fabula illa intelligitur, non defuisse, qui cum summa animi sinceritate mysteria illa coluerint; quorum una mulier illa habenda est quae perit religiosa fide nimis credula. Sane innumera sunt scelera, quae in Isidis adytis celabantur, attamen nemo possit contendere deae honorem tam fragilibus nisum esse fundamentis, quam libidine et scelere: haec enim hominum taedium celerrimo pede sequitur; nisi vero temporis universa ratione fota essent sacra illa, non tot tamque severis opus fuisset magistrorum ad ea diruenda decretis. Ita usque creverunt et propagata sunt.

Augustus Caesar quamvis ipse deis Aegyptiis olim voverit templum, tamen sacerdotes in urbe considere non eat passus. Neque ipse quidem tunc Isidis sacra curabat. Isto multa patria quae oblitione erant demersa, restituenda curavit. Nam aedes sacras vetustate collapses aut incendio absumptas refecit easque et ceteras opulentissimis

¹⁾ Bell. Jud. lib. XVIII. 3.

deosis adornavit¹). Nonnulla etiam ex antiquis caerimoniis paulatim abolita restituit, ut Salutis augurium, cetera²). Non autem restitutis quae abolita neque desiderata sunt contrarium quam quod tetenderit, effecit? quum jam sapientium risui subjiceret quae obsoleta modo repetierat? Attamen eo severitate et antiquae eruditionis studio non tetendit ut Isis sacra impugnaret; hoc solum cavit, ne transgredelerentur pomoerium. Fana vero quae a privatis extorta invenerat liberis exornanda mandat, ubi deficiunt prognati ipse curat³). Prima etiam eo tempore vestigia exoriuntur eorum qui Judaica praecepta sunt sectati; aliud quoddam argumentum quo indicetur hominum unius adorandi numinis desiderium. Gajum enim nepotem, quod Judaeam prætervehens apud Hierosolymam non supplicasset, collaudavit Caesar Augustus⁴), qui quidem ejusdem temporum mos fuit, ut Judaeorum numen adorarent Romani. Pari severitate Tiberius animadvertisit in illos, qua saepius peregrina sacra expelli jussit. — Sed neglectis eorum sacris tamen mira Aegyptiorum artificia Augustus civibus non censuit retinenda esse⁵), qua de causa obelisces duos ab Helopolitana civitate Romam transferri unum in circu ma-

¹) Suet. Octav. c. 30.

²) Dio Cass. 37. 24: οὐ οἰώνισμα τὸ τῆς ὑγείας.

³) Dio Cass. 53. c. 2. καὶ τὰ μὲν ιερὰ τὰ Αλγύπτια οὐκ ἐστίξατο εἶσω τοῦ πομηρίου, τῶν δὲ θῆ ναῶν πρόνοιαν ἐποήσατο τοὺς μὲν γὰρ ὥπ' Ιδιωτῶν τινων γεγενημένους τοῖς τε παισῶν αὐτῶν καὶ τοῖς ἔχοντος, εἴ γέ τινες περιῆσαν, ἐπισκευάσαι ἐκέλευσε, τοὺς δὲ λοιποὺς αὐτοὺς ἀγεκτῖσατο.

⁴) Suet. Octav. 93. collatis Tibuli carmin. III. lib. I. vv.

Aut ego sum causeatus aves aut omnia dira

Saturni aut sacram me tenuisse diem.

⁵) Ammian Marcell. in XVII. 4.

ximo alterum in campo Martio collocari jussit; litterasque quae Alexandriae miro modo floreabant, quum Romani scriptores eas sibi proponerent exemplaria, quid mirum quod Aegypti admiratio indies aucta est. Neque sacerdotum opera defecisse putanda est, qua gentem suam nobilissimam studerent celebrare. Qui enim constantiae memores sunt, qua Persis terram suam in ditione tenebibus et quidem vario Marte renixi sint Aegyptii, non nimis dubius erit, qua ex causa Agrippa, civium tumultu pacato protinus templa, quae iterum intra pomoerium exstructa invenerat, Aegyptia deleverit. Jam supra hac de re disceptavimus nonnulla, quae hoc loco paucis ad finem perducenda putavi verbis¹⁾). Jam respicienda erit Maeenatis oratio, quam supra laudavi, qua etsi omnino dicta esse multa videantur, rem quandam illo tempore factam spectasse eum censeo. At quaequierit quidam, quid proficerit Caesar, si mysteria illa non prorsus expulerit, sed modo relegaverit ex urbis pomoerio? Hoc enim monuit Caesar, non jam suo jure neque publica auctoritate fieri sacra; quo facto sacerdotum potentia haud leniter infracta est.

Tiberius qui regnum ab Augusto acceperat non tanta prudentia consuluit reipublicae, quanta ille, sed genio suo nimis indulxit, quo factum ut quae sibi displicerant aboleret, alia conservaret. Attamen nonnunquam animi ingenui aut strenuae virtutis captabat laudem, ideoque multa fecit, quae certe admiranda sunt. Judaeorum doctrinam multi

¹⁾ Dio Cass. 54. c. 6. τὰ τε ἵερα τὰ Αἰγύπτια ἐπειδόντα αὐθίς
ἔσ τὸ ἀστο ἀνέστειλεν ἀπειπὼν μηδένα μηδὲ ἐν τῷ προστείῳ αὐτὰ
ἐντὸς δύδον ἡμισταδίου ποιεῖν.

amplexi erant, neque minus audacia sua insignes erant Isiaci sacerdotes quibus nefastissimum illud facinus¹⁾ fuit erimini. At Tiberius Caesar poenas erat petiturus ex reis, sacerdotes enim lenones cruci affigi, templum quo mulierem ceperint, solo aequari, signum deae in Tiberim demergi jussit²⁾. Externas caerimonias, Aegyptios Judaciosque ritus compescuit, coactis qui superstitione ea tenebantur religiosas vestes cum instrumenti omni comburere. Senatus quoque, quum Caesarem esse iratum vidisset, servarius Aegyptia sacra ausus est impugnare. Itaque patres paene duram hac de re sententiam ediderunt, quam Tacitus nobis tradidit annalium libro III. c. 85:

Eodem anno (p. C. 19) Senatu actum de sacris Aegyptiis Judaicisque pellendis; factumque patrum consultum ut quatuor millia libertini generis ea superstitione infecta, quis idonea aetas in insulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniis, et si ob gravitatem coeli interissent, vile damnum; ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuisserent. — Credideris fortasse illa tam gravi poena ita jacuisse Isiacos ut nunquam ad pristinam redire possent auctoritatem! Sed „Naturam expellas furca, tamen usque recurret”. Jam stoicorum doctrina superstes erat, quae sub insequentibus Tiberium Caesaribus summam inter homines gloriam nacta sententiam de animo rerum naturae innato rationisque compote omnia suo nutu ac numine moderanti, expulsis etiam Isiacis servavit.. Et quum Caesares qui post Tiberium rerum ditionem habebant magis superbiae suae indulgerent quam civitatis leges

¹⁾ cf. Josephum bell. Jud. XVIII. 3.

²⁾ cf. Joseph. I. 1.

tueri et servare studearent, diu neglecta Isidis mysteria majorem quam antea tulerant sibi comparaverunt assensum. Tiberii supremum fuit interdictum, quo cultus ille vexatus est, quum postea etiam imperatores coluerint Isidem. De Othoni Caesare tradidit Suetonius, ipsa sacra Isidis saepe in liuea religiosaque veste propalam celebrasse¹). At dum a populo Romano magna diligentia coluntur dei Aegyptii, aliunde ceperunt detrimentum. Magno enim quod Tito imperatore in campo martio ortum erat incendio Iseum et Serapeum²) cum multis atque magnificis aedibus consumptum est, anno eodem quo et Pompejanum Iseum universo cum oppido ignium Vesuviorum eruptione deletum est; fato nobis quidem benevolo, quum integrum fanum cineribus abditum causa vel forte fortuna ad lucem editum sit.

Gratus autem Isiacae turbae, cujus opera salvis extitit Domitianus Isidi et Serapidi fana refecit³), sicuti credere licet eorum sacris propenso animo Caesarem facuisse. Tumultu enim quo Vitellius interfectus est cito in Capitolium refugit Domitianus puer „cum patruo Sabino et parte praesentium copiarum; sed irrumpentibus adver-

¹) Suet. Otho c. 12.

²) Dio Cass. lib. 66. c. 24., πῦρ δὲ δῆ ἔτερον ἐπίγειον τῷ ξῆς οἷς πολλὰ πάντα τῆς Ρώμης τοῦ Τίτου πρὸς τὸ πάθημα τὸ ἐν τῇ Καμπανίᾳ γενόμενον ἐκδημήσαντος ἐπενείματο. — Καὶ γὰρ τὸ Σεραπεῖον καὶ τὸ Ιοεῖον τὰ τε Σέπτα καὶ τὸ Ποσειδῶνιον Collatis Arnobii verbis quibus idem spectavit, adv. nat. VI. c. 23. Ubi fuit Serapis Aegyptius quum consimili casu jacuit solitus in cinerem cum mysteriis omnibus atque Iside.

³) Eutrop. brev. hist. R. VII. c. 23. Romae quoque multa opera fecit, in his Capitolium et forum transitorium, Odeum Divorum Porticus, Iseum, Serapeum ac stadium.

sariis et ardente templo apud aedictum clam pernoctavit; ac mane Iaci celatus habitu interque sacrificulos vanas superstitionis, quum se trans Tiberim ad condiscipuli matrem comite uno contulisset, ita latuit, ut scrutatoribus qui vestigia subsecuti erant, deprehendi non potuerit¹). — Jam verum de hoc cultu scripforum loci, qui recentiore aetate sribentes res gestas populi Romani memoriae prodidere rariores reperiuntur, quum in deos publice adoratos referri coepisset Isis; sed non prorsus quidem deficiunt. De Hadriani in deorum Aegyptiorum cultum propenso infestove animo Aelius Spartanus non idem servavit judicium, quum in vita, quam Hadriani Caesaris scripsit capite 22 eum sacra Romana diligentissime eurasse, peregrina centemisse, capite 26. Tibure Canopum fuisse ad instar illius quod Canopi fuerit traderet ab eo exstructum. Ejusdem templi ruinae nostra aetate inventae sunt²) quibus multa signa deis sacra abscondita fuere, quae quum priscam Aegyptiae fingendi artis simulabant rationem, tum Graecorum arte sculpta videntur. Accedit ut Antinous juvenis cuius amore Hadrianum ita exarsisse scimus ut mortuum appellaret divum, in numinis Aegyptiis (cf. Zoëgæ collectionem) cum loto flore capite ornatus ad deorum Aegypti instar excusus reperiatur, quo satis mihi demonstrari videtur numina illa Caesari non

¹⁾ Suet. Domit. c. 1. — Tacit. hist. III. 74.

²⁾ Winkelm. storia del arte II. c. 3. Nelle rovine di questo tempio se non tutti, almeno per la maggiore parte sono stati scavati i lavori d'imitazione delle antiche egiziane figure che reggono in Roma. In alcune egli fece esattamente imitare il più vecchio lavoro et in altre l'arte degli Egizi accopio con quella de' Greci.—

ingrata fuisse. Et quidem neminem latet hoc potissimum tempore mysticam hominum cogitationem, qualis Antoninorum fuerit aetate maxime valuisse ad illa propaganda sacra. Eo enim tempore Athenienses ignoto numini aram dixerunt sacram. M. Antonius Philosophus vero Cereris Eleusiniae mysteriis initiatus est; et quod maxime mirandum, Alexander Severus imperator¹⁾ „quum Christiani quendam locum qui publicus fuerat occupassent contra popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit melius esse ut quo modocunque illic deus coleretur, quam popinariis dedatnr”. Nam inscii homines ardore quodam pulsi sunt ad mysteria, quibus divinae doctrinae cognitis arcannis rite sancteque numen coleretur. Neque tamen Commodus imperator, foedissimum illud post hominum memoriā monstrum, etiamsi Isiaca sacra superbè turbavit, saeculi sui reniti potuit cogitationi. Nam quae de illo leguntur in vita ab Aelio Lampridio conscripta saevissimam cum puerili quadam petulantia junctam ostendunt crudelitatem. At quamvis Isiacos „usque ad perniciem pineis pectus tundi cogerit et Anubim in pompa ferens Isiacorum capita quae etiam capillis nudata esse solebant graviter ore simulaci obtuderit²⁾), tamen Isidis sacra tanta coluit cura ut et caput raderet et Anubim portaret”. Narrat porro idem Aelius Spartianus, qui et Pescennii Nigri exstitit laudator hunc Pescennium „in Commodianis hortis in portico curva pictum de musivo³⁾ inter Commodi ami-

¹⁾ Aelius Lamprid. Alex. Severus c. 49. extr.

²⁾ Ael. Spartan. Commodi vita c. 9.

³⁾ Videtur consuetudo fuisse illius temporis ut illa deis quae praestaverint officia pictura memoriae traderent, quod ex Tertulliani in senatorem Isidis orgiastam carmine liquit:

cissimos se vidisse sacra Isidis ferentem, quibus Commodum adeo deditum fuisse narrat ut et caput raderet et Anubin portaret et omnes expleret pausas¹⁾). Loci quidam fuisse videntur quibus constiterint pompa, ubi deorum positis signis hymnos cecinerint sacerdotesque deorum simulacula ostenderint multitudini. Fuerunt etiam aediculae illis in locis exstructae, mansiones vocatae quae res ex vetere intelligitur inscriptione²⁾ apud Reinesium servata (tom I. n. 139).

Teque domo propria pictum cum fascibus ante
Nunc quoque cum sistro faciem portare caninam
Haec non humilitas sed humilitatis imago
Aedibus illa tuis semper monumenta manebunt.

¹⁾ *pausas*. Hanc enim quam membranea Palatina exhibent lectionem cum Salmasio et Grutero probaverim pro vulgari „partes” scriptura, quum et in Caracallae vita idem Spartanus hanc disserens rem tradidisset Commodum ita Iasiaca mysteria celebrasse ut „et Anubin portaret et caput raderet et pausas ederet facileque fieri posset ut scriba quem vocis paua latuerit significatio pro illa partes posuerit; at tum partes impleret non expleret erat scribendum. Accedit ut „pausam ederet expleretve” graece ἀναπαύειν vox propria fuerit qua quaedam audiarentur pomparum stationes. cf. Philostratum in Apollonii Athen. Sophistae vita: ἐτάρη ἐν τῷ προαστεῖῳ τῆς ἐν Ἐλευσῖνι λεωφόρου ὄνομα τῷ προαστεῖῳ Ίερὰ συκῆ. τὰ δὲ Ἐλευσινόθεν ίερὰ, ἐπειδὴν οἱ ἀστοῦ ἄγωσιν, ἐκεῖ ἀναπαύονται.

²⁾ „Pro salute domus Augustae corpora pausariorum et argentariorum mansionem Isidi et Osiridi aedificavimus.” Reinesius pro pausariis aurariorum scribendum esse conjectit, quae tamen admodum torta mutatio nobis non placuit. Vocem pausariorum autem non ad Iasiacos referendam putamus, sed collegium nautarum quoddam qui remigio praefuerunt moderatores (cf. Senec. ep. 56) quod optime cum tutela congruit, qua Isis nautas fluctuum saevitiae credebatur eripere.

Non minore Antoninus Caracalla sacra ista fevit veneratione, eaque in numerum publice factorum videtur retulisse; inveniuntur enim apud Aelium Lampridium verba haec: **Antoninus Caracallus** sacra Isidis Romam deportavit et templa ubique magnifica eidem deae fecit; **sacra** etiam **majore** reverentia celebravit quam ante celebrabantur." Quum autem haec sententia quam ex scriptore Caracallae sine dubio aequali hauserat, ab eis quae modo scripsit de Commodo discrepare viderentur, Spartanus „in que quidem mihi mirum videtur" inquit „quem admodum **sacra** Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur, quum Antoninus **Commodus** ita ea celebravit, ut et Anubim portaret et pausas ederet: nisi forte ille addidit celebri-
tati, non eam primus invexit¹). Neque Causabonus ha-
buit quo modo discrepantia illa tolleretur, qui lectionem:
„**Sacra** Isidis Romae portavit" proposuit. Sed hisce
verbis nihil vel certe nihil memoria dignum tradidisse
auctorem neminem fugiet; nam hocne mentione dignum,
quod jam ante eum plerique fecerunt, quoniam **Commodus**
aliisque Romae sacra antea portaverant. At quum **Aurelius**
Victor quoque notasset, **sacra** Aegyptia ab illo Romam
esse deportata rejecta Causaboni conjectura mihi videtur.
Respiciendum est scilicet ad legem illam, qua Isidis sacra
intra M. passus extra pomoerium fieri vetitum erat, non-
dum abelitam: Caracalla autem ista in urbem introducta
quasi **Romana** civitate donavit mysteria, quae res haud
minus verbis „et ubique magnifica templa fecit" manifesta.
Sine dubio quo Spartanus usus est auctor Caracallam
mysteria illa introduxisse scripserat „in urbem", qua

¹) Ael. Spartanus Carracall. Antonin c. 9.

febellit mentione Spartanum. Tum autem firmam sedem Romae adepta erat dea Pharia, quae nisi cum urbis ruina non est eversa. Alexander Severus imperator pio animo coluit mysteria „Isium et Serapium decenter ornavit, additis signis et deliacis et omnibus mysticis¹⁾; atque insigni eis interfuit studio Severi conjunx Julia Domna.

Credere possis et quidem saepius dictum est Mithrae cultu postea Romae propagato Iasiaca expulsa esse sacra, quia et historiae scriptores nullam eorum fecerint mentionem. Donec autem mentione dignum videbatur tradiderunt imperatores nobilesque Isidi supplices; at quum cultus deae jam publice faciendus curaretur, silentio prae-terminabant res Iasiacas. Sacra enim dum Capitolium Romanis firmum erat monumentum Romae florebant; quod ne temere dixisse videamur, quum aliorum tum Tertulliani probatum demonstremus testimonio, qui in libello ad nationes scripto locum praebuit corruptum lacuna quidem neque tamen sensu carentem, quo haec scripsit: Sic Serapeum, sic Capitolium petitur, addicitur conductitur sub eadem voce praeconis, eadem exactione quaestoris; quo auctoris testimonio non solum fieri sua aetate Iasiaca mysteria liquet, verum etiam publica exactione deis templum exstructa esse Aegyptiis, eosque aequae ac ceteri Romanorum dei publice adoratos esse. Multa porro Aegyptiorum sacerdotum dogmata et praeepta jam in primis ecclesiae aetatis a quibusdam Christianae doctrinae asseclis accepta cumque Christianorum sententiis mista servata sunt: quod Gnosticis ut dicuntur maxime exprobratur; plures

¹⁾ Ael. Lamprid. vita Alex. Severi. cf. et Heynii hac de re opusculorum dissertationem.

mysteriorum caerimoniae ritibus ecclesiae catholicae diversa quidem interpretatione insertae ad nostra usque cognoscuntur tempora.

Diximus antea non solum Romae Isiaca sacra summum adepta honorem sed etiam per totum imperii orbem propagata esse; neque plura quam quod probari possit nos contendisse allatis nunc argumentis demonstrare conabimur. Quot Graecia Isidis habuerit templa, supra dictum. Exstant autem apud Gruterum inscriptiones nonnullae quae fana Isidi quibusdam locis dedicata indicant, ut in agro Veronensi „Matri Deum et Isidi C. Menatius C. fil. Fabius Severus fanum refecit et pronaum de suo fecit ex voto”, (Grut. I. p. 272), et in Brixensi regione, M. Cassius M. fil. miles praetorianus aedem Isidi pecunia sua fecit¹⁾), utque in Helvetiae pago et monasterio Wettingen tabula est inventa, qua fanum intelligitur Isidi dedicatum: „Deae Isidi templum a solo L. Anusius Magianus vir Aquensis de suo posuit, cuius templum etiam uxor et filia ornamentis auxerunt. Neque defuerunt privati homines qui signa ponerent deae. Capuae enim inventa est basis cui haec verba inscripta sunt: Te tibi uaa, quae es omnia Dea Isis Arrius Balbinus V. C; Patavii alia quaedam existat cui imposita erat dea ex monitu ejus a. L. Valerio Memore VI. viro Aug., Acci denique in Hispania Livia quaedam Chalcedonica Isidi signum erexit ornatum ut potuit. Allatis illis testimoniiis cognovimus non solum in Italia sed etiam in Gallia cisalpina, Helvetia, Hispania fuisse qui pio animo Aegyptiis mysteriis fuerint dediti;

¹⁾ Judice facilissime Gruteri quo loco positae sint inscriptiones inveneris.—

quod autem mireris cippus marmoreus in Flandria a duobus legionis V militibus Aug. Isidi sanctus inventus est¹⁾ , et si Francogallis auctoribus fidem licet habere Parisiis quoque dea Pharia adorata est. Refert enim Jacob. Martinus²⁾ testimonio scriptorum qui sibi antecesserunt nisus, in monasterio divi Germani Parisiis signum diu servatum esse Isidis, donec Briçonnet Episcopus anno Christi 1514 signum illud deleri jusserrit. Mibi quidem persuasum est sicuti in ceteris Romani imperii regionibus Romanorum mores et cultus introducti sint, non minus in Gallia Romanis moribus luxurieque infecta sacra illius deae extitisse. Ab urbe Roma quatenus sacerdotum Aegyptiorum auctoritas progressa sit ut percunctaremur progressi ad eandem redimus urbem. Non unum tantum sed plura habuit fana deae Phariae sacra. Vetustissimum videtur fuisse in Campo Martio exstructum, qua re Campensis cognomen accepit Isis³⁾. Tito Caesare autem incendio combustum⁴⁾ a Domitiano iterumque a Diocletiano est restitutum. Illius templi enim reliquiae nuper ad lucem proditae sunt, quae intra ecclesiam Divi Stephani (del Caco) et Monasterium Sanctae Mariae (sopra Minerva) effossa sunt; cujus quidem templi duo leones basaltha ficti ornant nunc scalas quibus ad Capitolum ducimur.

¹⁾ Iaudi sacrum Sex. Pompejus Sex. L. Syrus Mil. leg. V Aug. V. S. L. M.

²⁾ Religion des Gaulois. Paris 1724. in 4; tom. II. lib. IV. c. 22. p. 131. et 144.

³⁾ Juvenal VI. 527.

A. Meroë portabit aquas ut spargat in aedem
Isidis antiquo quae proxima surgit oritur:

⁴⁾ cf. Dionis. Cass. lib. 66. c. 24 supra laudatum.

Alterum quoddam Isidis fanum in tertia urbis regione fuerit necesse est, quum ea nomen traxerit ab Iside. Refert porro Aurelius Victor (*de urbis regionibus libro*) Isidis templum patriciae, fanumque Athenodorae Isidis. Metellinum vero Isium ex Trebelli Pollionis novimus triginta tyrannorum historia, quod extra pomoerium situm fuisse videtur, sub Caelii montis radicibus¹).

Qua porro ratione intus extractae et ornata fuerint aedes Isidis accuratius multis aliis rebus novimus quum non solum fanum quoddam fere integrum Pompejis servatum sit posteritati²), sed etiam udo calci parietis inductae duae picturae Herculaneis repartae certiores nos de ritibus sacris et de universa templorum institutione fecerint³). Hoc autem peculium esse videtur templorum ad sacra Aegyptia factorum ut vel omnia quae ad sacra pertinent contineantur peristylio. Peristylio illo enim cavaedium eritur, ita ut auditores quique deam adeunt precibus sub divo sint⁴). Aedes illa Pompejana hominis privati extracta est sumptibus, quae res indicatur inscriptione templo olim infixa nunc in museo colllocata Porticensi:

N. Popidius N. f. Celsinus aedem Isis terrae motu collapsam a fundamento pecunia sua restituit.

¹) *Treb. Poll. c. 25.* Tetricorum domus hedieque exstat in monte Caelio inter duos lucos contra Isium Metellinum pulcerrima.

²) Repertum est fanum Pompejanum anno 1765.

³) *Pitture d'Ercolano tom. II. p. 315 et 321.*

⁴) cf. Hamilton: *Account of the discoveries at Pompeji in the Archaeologia Brit. or miscellaneous tracts relating to antiquity. tom. IV. 1786. p. 173.*

Fanum ingredienti ad dextram laevamque crateres aqua impleti lustrali sunt expositi. Hori autem signum, „digito qui significat st!”¹⁾), hoc gestu mysticam animi affectionem efficere conatur, dum altera manu ad sacrarium quo deae cœditur signum monstrat. Finge igitur animo serenum quo Italia gaudet caelum, laetam illam fertilissimamque terrae naturam, sacrorum pompas hilaritudinem exientes, te his cunctis relictis fanum introire deae Phariae, quo strepatus fori non perveniat, sed altum regnet silentium, ubique peregrinas bestias, angues feles²⁾ ibides invenias, plantasque et arbusta e peregrina terra translata — nonne haec una eam Hori mystico habitu et sacerdotum singulari et obseuro vestimento ad augendum valent ignoti numinis desiderium? Nam neque hoc neglexerant sacerdotes ut fana plantis ex Aegypto deportatis ornarentur bestiæque deae Isidi gratae in adyto alerentur, qua re miromodo qui deae fanum visere solebant, afficerentur³⁾. Prae ceteris sphinges ad templa adhibuerant ornamentis (cf. Pitt. d'Ercol. p. 321) obscuras illas ambiguasque imagines quæ Aegyptiorum invenit cogitatio tamque saepe exposuit effectæ; quarum tamen significatio jam Romanorum viris doctis abscondita neque nostra aetate ex oblivione est eruta. Obscuram verum esse sphingum significationem hoc omnibus constabat temporibus, διὰ τοῦτο τι καὶ Αἰγύ-

¹⁾ Varro de lingua L. 4. Augustin de Civ. dei 18. c. 5: In omnibus templis ubi colebantur Isis et Serapis erat etiam simulacrum, quod digito labii impresso admonere videretur ut silentium fieret. —

²⁾ Armob. adv. nationes I. c. 28.

³⁾ cf. Peregrinas plantas ibidesque quæ in Pictoris Herculanis modo laudatis videntur.

*πειοι προ τῶν ἱερῶν τὰς σφίγγας ἴδρυονται, ὡς αἰνιγμα-
τώδους τοῦ περὶ Θεοῦ λόγου καὶ ἀστιφεῦς ὄντος¹⁾.*

Ad laevam ineunti in Isidis templum Pompejanum balneum est situm subterraneum, quo lustrabantur, inque quod scalis descendebant. Ne tamen impio animo neglectis lustrationem peragant precibus aedicula exstat balneis superposita, cuius in pariete Venus et Mars, Mercurius Nympham osculans, Amores, delphines, genii cistulas manibus ferentes depicti sunt. Sacrarium in una cavae-dii parte exstructum, vestibulo constat atque cellula, cuiusmodi illis et picturis Herculaneis monstratur sacrarium. Multas circumpositae arae, multaeque zothecae deorum continent simulacra quarum una Bacchi signum altera ipsius deae²⁾ quam L. Caecilius Phoebus deae posuit statuam, neque minus Veneris exponit signum brachiis colloque auratis.

Per extremam aram est ducta cellulam, quam ad collocaanda deorum signa factam esse patet; et quidem cava posticaque instructa inventa est, quam ingressus sacerdos deae vocem imitari solebat. Post hoc nonnulla conclavia, quem in templo habitarent Isiaci sacerdotes, quae

¹⁾ Clem. Alex. Strom. lib. VII.

²⁾ Hamiltonius qui templi formam loco modo laudato delineavit, basim in qua Isidis signum invenit collocatum, litera h designavit haecque de statua verba addit: Pedestal on which was found a beautiful statue of Isis about two feet high. It is of marble, the drapery was painted of a tender purple colour and some parts of it gilt. She had a sistrum of bronze in her right hand and in the left the common Egyptian symbol which is explained by Antiquaries as the key to the sluices of the Nile. cf. Mus. Capitol. III. tav. 19.

nostrae autem quamvis tessellato pavimento magnifice ornata sint, disceptationis nil referunt, nisi quaedam in pariete extarent picta, quae mysteriis fortasse ipsid cognoscendis praebent lucem. Hic enim Jus apotheosis picta, duoque Bacchi hermae barbati cornibusque armati; serpentes duo, qui circum scipiones repunt, Isis denique, laeva sceptrum, dextra situlam tollens, quaeque calvam pede premit: haec autem ab antiquo more prorsus aliena jam ad illam symbolorum spectat variatam conditionem, quae Christianorum cogitationi adaptata, ad nostra usque tempora crebro solet adhiberi. Deam etiam duo circumrepunt serpentes, quarum altera caput illi advertit, altera arborem frugibus ascendit nitentem, vitae mortisque symbola.

Multae, quae quum in peristylio tum in cavaedio collocatae inveniebantur aera nullum ferunt ignium vestigium, excepta una cujus superficies flamma videtur adesa. Aequo autem ac hoc fanum sacris Aegyptiis plane aptatum fuisse liquet, cetera quoque Aegyptio more instructa fuisse conjici licet; quod verum attinet ad externam fani speciem, totum simplici muro cinctum fuisse puto, quum Aegyptiis hoc placuisse constet, ut aedium multitudinem simplici muro coercent. Tamen Dionis Cassii testimonio novimus fano cuidam Romae Isidis frontem Graecorum more impositum, in quo dea cani insidens late conspicua exposita fuerit¹⁾.

Picturas illas Herculani detectas Boettigerus vir do-

¹⁾ Dio Cass. 79. 10. Ἐγεγόνει δὲ καὶ τέρατα ἐν τῇ Ρώμῃ ἀλλα τε καὶ ἐκ τοῦ ἀγάλματος τῆς Ἰσιδος, ὃ ὑπὲρ τὸ λέπωμα τοῦ ναοῦ αὐτῆς ἐπὶ κυνὸς ὅχεῖται. τὸ γὰρ πρόσωπον ἐς τὸ εἶλον μετέστρεψεν.

ctissimus, qui veteris artis monumenta mira cum elegantia tractavit, fusius explicavit in actis societatis philologae Regiae Lipsiensis¹⁾, qua de causa nihil de illis hoc loco dicendum putavi. Signis autem Veneris et Martis, Mercurii ceterisque effigiebus supra laudatis ad quaestionem ducimur, quo sensu Isidis numen adoratum sit ab initia.

Multis allatis testibus jam in prima nostrae dissertationis parte sententiam proposui, numine Isidis aeternam naturae rationem esse auditam. Lege illa secundum rerum naturam divina quadam ratione mundum regi, hoc Plutarchus mibi spectasse videtur, quum nomen Isidis si grammaticam respicimus inepit quidem, quantum ad rem acute, a vœcula Graeca *ἰδαν* derivatum esse affirmaret²⁾, quo dicto divina sapientia quidquam malum effici aut sine excidere negavit. Namque „Isis est vel terra vel natura rerum subjacens soli”³⁾). Non tamen existimandum est unum idemque esse Cereris Graecæ quæ Eleusine adorata sit Aegyptiaeque Isidis numen, sed quod optime Diodorus discrevit: „τὴν Ἰσιν μεθομηνυμένην δγγιστά τρως Αἴγυπτον εἶναι” hoc statuendum est. Ceres enim Eleusinia homines rudes in silvis vitam degentes glandibusque vescentes agrorum docuisse culturam, eosque familiæ vinculis coercuisse credita est, quæ et deorum cultus eis instituerit eosque de animi immortalitate certiores fecerit. Ab his longe diversa tendebant Iasiaca mysteria; sacra enim quæ antea pio animo observata erant, in unius

¹⁾ Minerva, Taschenbuch vom Jahre 1812, u. auch in seinen vermischten Schriften, (siehe den Index im zweiten Theile). Vergl. auch Böttigers Sabina p. 200 ff.

²⁾ Plut. de Iside et Osiride c. II.

³⁾ Macrob. Saturnal. I. c. 20.

nominis cultu comprehendenterunt, atque naturae crescētis semper iterumque deficientis constantem sibi ordinem numen esse demonstrarunt, quo facto deorum cultus non solum non propagabant, sed etiam abolere conabantur, quum, quod ipsam dicentem introduxit Apulejus deam¹⁾ omnes uno Isidis cultu continerentur. Novissimam ergo antiquae religionis aperuit rationem, quo facto dei panthei inventi artibusque fingendi exsculpti sunt. Hoc tamen negari nequit, sacerdotes myateria sua Eleusiniis admodum similia sensim fecisse, quod sine periculo facere potuerunt, quum Cereris Eleusiniae sacra tanto opere vetusto cultus loco essent affixa, ut in aliam urbem transferri non possent.

Serapis qui saepius apud veteres scriptores cum Iside conjunctus reperitur, fortasse quod uterque ex Aegypto originem duxerit, plane ab illa in rebus sacrī se-cretus est, quippe qui Jovis potentiae Aesculapii artem addidisse creditur; in multis tamen orae maritimae adiacentibus Italiae oppidis templa habuit, neque nou Romae magna et magnifica habuit fana quae cellulis ad recipien-dos aegrotos et balneis instructa nostris aegrotorum ho-spitiis publicis admodum similia fuisse videntur. Dei Serapidis medendi peritiam omnes agnoscere consueverant, quem et Carracalla aegrotans ardentissimis sed frustra precibus aggressus est. Celeberrimum autem Serapidis fanum Canopi fuisse fertur, ubi sacerdotes longam mirabilium curationum seriem libris annalibus inscripserant (Strabo).

¹⁾ Apul. Metamorph, XI. Qui postea afferantur loci omissio, tamen auctoris nomine ex Apul. Met. libro. XI hausti sunt, quā clarissimus mysteriorum fons superest.

At Osiris et Harpocrates jure una cum Iside semper nominantur. Et quidem universas Liberi partes suscepit Osiris, hederaque illi sacra coronatur; quam rei notitiam Tertulliano debemus qui de corona militis libro, c. 7 haec tradidit: „Liberum, eundem apud Aegyptios Osirin, Harpoeration industria hederatum argumentatur, quod hederae natura sit cerebrum ab eluco defensare. Si et Leonis Aegyptii scripta evolvas, prima Isis repertas spicas capite circumtulit, rem magis ventris;” quam Tertulliani adnotationem Clemens Alexandrinus affirmat, Iside Cereris Osiride Bacchi simili demonstratis¹⁾). Sed etiam Proserpinæ partes eidem Osiridi traditae sunt, quem Isidis filium perditum post varios casus a matre repertum praedicant²⁾), quam mysteriorum doctrinam spectare videtur Tertullianus, libro adversus Marcionem primo c. 13. „sic Osirin, quod semper sepelitur et in vivido quaeritur et cum gaudio invenitur reciprocarum frugum et vividorum elementorum et recidivi anni fidem argumentantur, sicut aridae et ardentis naturae sacramenta leones Mithrae philosophantur.” Namque quem prisci Aegyptii Isidis maritum crediderunt, postera dixit filium natio³⁾). Accedit ut Tertullianus multis locis (sic de exhortatione castitatis 13) Cererem Africanam

¹⁾ Clemens Alex. Strom. p. 351. 21 et 22 ed. Sylburgianaæ.

²⁾ Osiridem Isidis filium fuisse etiam in Etymol. M. reputatur sententia, quae sine dubio ex patris ecclesiae cuiusdam scriptis est hausta: 552. 12. ed. Sylb. Κοπιὸς πόλις Ἀγύετον, εἰς ἣν φασὶ τὴν Ἰσιν ἀφικομένην, τὸν Ὅσιριν τὸν οὐαὶν ἀναζητεῖν, μαθοῖσα δὲ αὐτὸν διασπαράχθαι — —

³⁾ cf. Lactantii inst. div. I. 21. Sacra vero Cereris Eleusiniae non sunt his dissimilia. Nam sicut ibi Osiris puer planctu matris inquiritur, ita hic ad incestum patrui matritonium raptæ Proserpina, — et infra: Isis filium perdidit, Ceres filiam.

vel Cererem Phariam Isim nominaverit. Neque enim quantum ad caerimoniarum speciem Isidis sacra ab Eleusiniis discrepant; at si sensum quaesieris, filio, qui inventur procreandi terrae potentiam indicari voluerunt, „nam frugum semina Osirim dicunt esse, Isim terram, Typhonem calorem. Typhon ventus ardens et pestilens Orientalibus Semum dictus; et quia naturatae fruges calore ad vitam hominum colleguntur et a terrae consortio separantur, et rursus hieme appropinquante seminantur hanc volunt esse mortem Osiridis quum fruges redduntur, inventionem vero quum fruges genitali terrae fomento exceptae nova rursus coeperint procreatione generari.”¹⁾ Cornua lunulaque Isidi pari modo manserunt, atque Junoni Homerium illud βοῶπις quam Homeri aetate jam nemo cum vaccae capite fingebat; dum Iside rerum universam naturam comprehendunt sacris initiati; lunaeque imaginis prorsus obliti sunt. At quum quae eventura sint homines a numine certis auguriis nuntiari crederent, sacerdotes qui omnia certis mundi legibus fieri docebant astrologiae quoque impenderunt operam, ne hoc quoque multi desiderantes ab Isidis sacris deficerent. Mira est discrepantia, quae intercedit inter doctrinam istam hominumque consuetudinem qua immolationibus datisque muneribus deos placare atque mulcere studebant. Si enim diligentius consideraris doctrinam illam ineptissimum esse patet, quod numinis aeternum ordinem precibus et sacris labefactare conarentur. Sed ad tantum rationis fastigium non pervenerunt veteres, neque tantam adepta esset auctoritatem Isiacorum doctrina, nisi fanaticis ejusdem aetatis animis, mysteria praebuisset. Magis etiam

¹⁾ Firmici Materni de errore profanarum religionum liber. II.

mirandum est quod Iamblichus retulit de Aegyptiorum nominibus, mysteria contra Christianam doctrinam sensim proficiemtē defendere conatus, Aegyptios enim deis suis fatum non adjectisse, quod Graeci fecere, deosque si libet homines fato implicari absque eo liberare credi. Sed hoc ex mutata civitatum conditione explicandum mihi videtur: dei enim quos Graeci coluerunt, reipublicae sunt, qui apposito fato vel Themide observatis quasi reipublicae legibus regunt; tum vero quum cuncta unius natu ac voluntate regeretur civitas dei quoque ex sua voluntate res humanae gubernari credebantur. Itaque discrepaniam illam quae tolli nequit, explicare quidem possumus.

Iidis naturae, quam modo consideravimus, admodum consentaneum est, ut morbo homines afficeret, absque eo liberare crederetur. Praecipue diram illam, qua saepe dei homines affecisse traduntur, poenam ab Iside imponi docuerunt, ut lumine privaret oculos¹⁾). Morbo igitur affecti deam Aegyptiam precibus adibant, ac si salutem praebuerat membra sanata vel totum corpus cera, aurove excusa seu tabula depicta deae sacra dicebant²⁾). Perlu-

¹⁾ Juvenal. sat. 13. v. 93.

Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis et irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo — —

et Ovidii ex Ponto I. l. 51. sqq.

Vidi ego linigerae numen violasse fatentem
Isidis Isiacos ante sedere focos,
Alter ob huic similem privatus lumine culpam
Clamabat media se meruisse via.

²⁾ Tibull. Elegia I. 3. 27. Nam posse mederi Picta docet templis multa tabella tuis. et Jouvenal sat. XII. v. 38. Pictores quis nescit ab Iside pasci.

cidis enim verbis a Diodoro Siculo medicaminum inventio
deae tribuitur, quae aegrotis in templo dormientibus per
sonnia indicet¹). In templis enim incubationes magni
momenti esse existimabantur, quibus non minus nefasti
celandis adulteriis abutebantur, quod eo securius fieri
potuit quo plura in fanis erant subterranea conclavia, vel
aediculae²).

Attamen sacerdotes, qui talibus rebus indulgebant ipsi
diligentissimo studio dignitatem qua gaudebant auxerunt;
praecipue summi Isidis sacerdotes, quos nominabant pro-
phetas. Hi enim sacris quaestionibus operam impendunt
summa constantia vitam in solitudine degentes. In templis
habitabant vel intra sacram fani circuitum, neque exire
solebant, nisi diebus festis quibusdam, neque quemquam
ad se adire fas habebant; inferioribus etiam sacerorum
ministris non semper cum eis contigit convictus. Quaestum
omnino repudiabant (nisi forte templi fieret bono) atque
universae vitae finem in sacris positum habuerunt. Et
quum rebus divinis tantum incumberent, omnes caeteras
res tanquam vanas contemnunt, summamque vestium et
ciborum petunt simplicitatem. Solitudine autem animi gra-
vitem assecuti non unquam ad sacras adeunt disceptatio-
nes quin antea lustrati sint; quas dum peragunt lustra-
tiones, neque collegis neque cognatis licet adesse; maxi-
mam vero vitae partem in doctrina sacra conterunt tra-
ctanda, ceteram modicae cum collegis destinarunt voluptati.
Cum nemine fere, nisi eorum doctrinae dedito conveniunt;

¹) L. 30. καὶ πατὰ τὸς ὑπνοὺς τοῖς ἀξιοῦσιν διδόναι βοηθήματα.

²) cf. Juvenalis verba sat. VI. v. 488.

Jam exspectatur in hortis
Aut apud Isiacae potius sacraria lenae.

sed usque deorum simulacris proximi sunt, quae aut ipsi ferunt, aut prae se ferri jubent, quorumque nullum sensu caret¹). Habitum etiam prophetarum ostenditur dignitas; rarissime enim rident, et si forte invitatis eis acciderit tam modice ut eos ridisse non dixeris. Manus autem nunquam non junctas vestique tectas habent, quibus ordo quo utuntur in sacris, discernitur²).

Cibo quam maxime simplici vescuntur; plerique etiam vino abstinent, qui imbecillos reddat homines eosque quin sacris occumbant quaestionibus impedit, reique Venereae excitet cupidinem, quam diligentissime fugiant. Dum sanctas illas peragunt lustrationes pane non vescantur, parvis alioquin frustis; oleo non minus abstinent, multorumque carne animalium. Cui irridens abstinentiae Hieronymus in epistola ad Laetam missa haec verba fecit; faciant hoc cultores Isidis et Cybeles qui gulosa abstinentia Phasides et turtures fumantes vorant, ne scilicet Cerealia dona contaminent. Porphyrius quem auctorem nostrae de Isiacis notitiae attulimus, praecepta nimirum sacra nobis tra-

¹) Porphyrius de abstinentia ab esu animalium capite de Aegyptiorum sacerdotibus inscripto: ὁ δὲ ἔκαστος οὐ τύφος ἀλλὰ πνεος ἐγδειξις φυσικοῦ λόγου.

²) Porphyrius. l. l. δεὶ γὰρ ἐντὸς τοῦ σχῆματος χεῖρες, καὶ σύμβολον γε ἡν ἔκάστῳ τῆς τάξεως ἐμφαντικὸν ἡν ἔλαχεν ἐν τοῖς ἱεροῖς, πλείους γὰρ ἥσαν αἱ τάξεις.

Probatur hoc parvulis sacerdotum simulacris, in eodem Pompejis templo repertis, quae e terra quam coctam dictimus facti sunt. Winkelmannus ex his verbis descripsit: Tengono queste figure le mani incrociate sul petto ad hanno nella sinistra un bastone e nella destra oltre il solito staffile, un nastro, a cui è attaccata una tavoletta che loco pende sulla spalla sinistra. Storia del arte c. IV.

didit; quae eo, ut multi forte morem illis non gesserint, abolita tamen non existimanda sunt. Persuasum est mihi tam dura illa praecepta sensim neglecta esse, in primis a Romanis Graecisve qui magni sacerdotis nacti erant dignitatem; quod tempore factum esse quibusdam novimus inscriptionibus^{1).}

Lustratione porro plures degunt dies Isiaci, quibus cum feminis convictum constanter fugiunt; ter quotidie lavantur, quum a cubiculo surrexerint, antequam prandium sumant, antequam cubitum eant. Noctu astrologiae student sanctosque suscipiunt ritus, diu divinum colunt numen. Tales prophetae sunt, qui aut praesunt cultui, aut quibus annales traditi sunt conscribendi. Inferiorum quoque ministrorum magna exstat turba, qui quidem lustratione utuntur sed minus accurata et sancta prophetis.

Obiter adnotavit Porphyrius plures sacerdotum ordines esse discernendos in mysteriis Isiacis, sed solis prophetis animum advertit, neque nomina ceterorum exhibuit, neque

¹⁾ Invenitur in Jani Gruteri inscriptt. thesauro (inspice indicis verbum Isis triumphalis) nomen sacerdotis sine dubio Romanum:

Cn. Domitius Cn. fil. Firmus
Sacerdos
Isidi triumphali
Basim s. p. d. d.
Adlector collegi ipsius.

aliaque in basi reperta inscriptio non minus exhibet nomen prophetae cuiusdam Romanum:

*ΣΥΝΩΡΟΝΩΝ ΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩΙ ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΔΙΟϹ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ
ΠΡΟΦΗΤΗΣ.*

munera. Illam igitur rem plane ignoraremus, nisi Clemens Alexandrinus¹⁾ munera nominaque accurate distincta nobis tradidisset. Ordine enim quo in pompa erant distributi, eodem singulorum dignitas indicari putanda est.

Primus autem procedit cantor φθός unum aliquod gerens ex symbolis musicae. Neque minus vestitu major inferiorve sacerdotum dignitas cognoscitur; dum enim propheta toto corpore velatus, minores pectore nudo finguntur in monumentis²⁾. Quorum in uno³⁾ cantorem cognovimus, qui amictu ventre cruribusque talorum tenus velatus singularis formae gerit citharam, crinibusque et corona inter ceteros insignem. Eum horoscopus sequitur, qui horologio palmaque instructus, astrologiae insignibus, quin tam illi incumbat, quam sacrorum indicere soleat initium. Ιερογραμματεὺς, sacrorum scriba, quem et grammatae nominantur⁴⁾, tertio erat in loco, qui pennas in capite libellum in manibus gerit lignumque, quo atrumentum, quoibusque ad scribendum utuntur calami insunt⁵⁾. Neque hunc desideramus in monumentis; nam Lensius et grammatae reddit (pl. 2 fig. 3) qui quantum quidem ex vestimento concluditur inferiorum sacerdotum in numerum referendus est; calvum caput utroque latere pennis ornato apice tectus, manibus profert libellum, qui enim noscitur penitus libelloque.

¹⁾ Clem. Alex. Strom. p. 633.

²⁾ cf. Lens „Vom Kostüm der meisten alten Völker,” qui Isidis pompam ex Amaduzzii antiquitatibus Matthaeanis sumtam tradidit tab. 2 et 3.

³⁾ Lens l. l. pl. 3. fig. 6.

⁴⁾ Apul. Met. libro XI.

⁵⁾ Porphyri. l. l. βιβλίον τε ἐν χερσὶ καὶ κανόνᾳ, ἐν φύτευσιν μέλαινα καὶ σχοῖνος ἢ γράφουσιν.

Post illum ingreditur στολιστης, pomparum ornator et moderator, ἔχων τόν τε τῆς δικαιοσύνης πήχυν (quo et sceptro in pictura Herculanea¹⁾) sacerdos insignis est. Clementis Alexandrini tamen sacerdotum enumeratio, qua sola in discernenda eorum ordine nūtimur Boettigerum videtur fugisse quum istius figurae scipionem nullo modo explicare posset) καὶ τὸ σπουδεῖον· οὗτος τα παιδευτικὰ πάντα καὶ μοσχοσφραγιστικά καλούμενα adornare solet. Ἐπὶ τᾶς δὲ ὁ προφήτης ἔξεισι προφανὲς τὸ ὑδρειον ἀγκελλοπισμένος φέπονται οἱ τὴν ἐκπεμψιν τῶν ἄρτων βαστάζοντες. Apulejus quoque quem clarissimum Isiaci cultas testem habemus²⁾), prophetam hydrum gerentem his verbis commemoravit: Gerebat aliis felici suo gremio summi sui numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non ferae ac ne hominis quidem ipsius consimilem; sed solerti repertu, etiam ipsa novitate reverendam, altioris utcunque et magno silentio tegendae religionis argumentum ineffabile, sed et ad istum plane modum fulgentē auro figuratum. Urnula faberrime cavata, fundo quam rotundo, miris extrinsecus simulacris Aegyptiorum effigiata. Ejus orificium non altiusculo levatum, in canalem porrrectum longo rivo prominebat. Ex alia vero parte multum recedens spatiosa dilatione, adhaerebat ansa, quam contorto nodulo supersedebat aspis, squameae cervicis striato tumore sublimis. Proceres autem quorum multos nominat Apulejus nostro, quem Clementi Alexandrino debemus cum numero non congruenter muneribus esse instrueti

¹⁾ Pitture d'Ercolan. tav. 321.

²⁾ Metam. libr. XI (paginae vel paragraphi, singulis editionibus diverse sunt divisae ut eas afferi non prosit; itaque totos locos, quibus usuri sumus, laudatos apponere malemus.

videntur; sed respiciendum est hos cunctos in primis deae ministris esse habendos, qui antistites et proceres vocentur ab illo. Quorum enim primus illius qua Isidis celebabantur pompa lucernam tulit „sed aureum cymbium medio sui patore flammulam suscitans largiorem:” „alter manibus gerebat altaria (*παστοφόρος*), tertius palmam auro foliatam, nec non mercurialem caduceum.” Quartus gerebat aureum vasculum in modum papillae rotundatum, de quo lacte libabat; quartus auream vaonum aureis congestam ramulis, et alias ferebat amphoram.” Amphora quam tam fuse adumbravit auctor aqua impleta erat, atque si fieri potuit, aqua quidem ex Nilo hausta ¹⁾). Namque aquam summi numinis symbolum ea de causa nominavit Apulejus, quod ab initiatis aqua summa gignendi facultas terrae innasci credebatur, quae sententia Aegyptiis sciencet terrae naturae causa sua sponte placuerit necesse est ²⁾ quum Nilus nisi increvisset alvum transgressus nulli Aegypti fertilitas extaret. Quae doctrina quamvis recentiori Isidis cultui non conveniat, tamen postea illata habenda est,

¹⁾ Juvenal. sat. VI. 525 sqq.

Si candida jusserrit Jo

A Meroë portabit aquas ut spargat in aedem
Isidis antiquo quae proxima surgit ovili.

²⁾ Firmicus Maternus de errore profanarum religionum: Aegypti incolae aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis supplicant, aquas superstitione votorum continuatione venerantur. — Haec sententia ad recentiora tempora quae nos tractamus non quadrat. cf. et Vitruvii præs. ad libr. VIII extr.: „Aqua vero non solum potus sed etiam infinitas usui praebendo necessitates, gratas præstat utilitates. Ex eo etiam qui sacerdotia gerunt, moribus Aegyptiorum ostendunt omnes res e liquoris potestate consistere.”

quam Aegypti admiratio Caesarum temporibus indies au-
geretur, hominumque cogitatio tam miris rebus gauderet.

Pauca de sacerdotum vestitu erunt adjicienda; hoc autem illa etiam aetate constabat ut nisi linteis vestibus ad sacra adire nefas putarent¹⁾). Omnes igitur non solum sacerdotes sed etiam qui deae aras supplices adibant linteo erant vestiti²⁾ qua re Isis saepius linteatae cognomen tulit³⁾. Caput capillis prorsus nudati, pectore excepto qui hydriam gerebat nude, linteoque vestiti sacris intererant faciendis. Appianus de bello civili libro IV. c. 47 haec Isiaci vestimenta memoriae tradidit. Οὐδολούσιος ἀγορανομῶν προεγράψῃ, καὶ φίλον δρυιαστὴν τῆς Ἰσιδος ἔχων, ἦτησε τὴν στολὴν καὶ τὰς διθύνας ἐνέδυ τὰς ποδήρεις καὶ την τοῦ κυνὸς κεφαλὴν ἐπέδειτο⁴⁾ καὶ διῆλθεν οὕτως δρυιάζων αὐτῷ χρήματα εἰς Πομπήιον.

¹⁾ Herod. II. 81. Ἐνδεῖκαστι δὲ κιθῶνας λινέους περὶ τὰ σκέλεα θυσανώπους, οὓς καλέουσι καλαύρις. — cf. et Plut. de Iside et Osiride: Οὔτε γάρ φιλοσόφους παγωνορροφίας καὶ τριβωνορροφίας ποιούσιν, οὔτε Ἰσιακοὺς εἰ λινοστολαὶ καὶ ξύρησις.

²⁾ Tibull. I. 3. v. 29.

Ut mea votivas persolvens Delia voces
Ante sacras lino tecta fores sedeat.

³⁾ Ovid. A. A. I. 77.

Neu fuge linigerae Memphitica templa juvencae
Multas illa facit. quae fuit ipsa Jovi.

coll. epp. ex Ponto I. 1. 55. sqq.

⁴⁾ Festis quibusdam diebus unus ex sacerdotum turba vel ministrorum Cynocephali personam sibi imponebat, quo factum deae simulacro tanquam Anubis olim Isidem maerentem secutus esse dicitur, adsistebat. cf. et Lucan. Pharsat. 8. 831:

Nos in templo tuam Romana accepimus Isin
Semideosque Canes et sistra jubentia luctus
Et quem tu plangens hominem testaris Osirin.

Propheta vero qui honore hydri portandi dignatus est humeris brachisque et manibus velatis latoe amictu sacroato, nedis manibus non audet tangere vas sanctum; (cf. Amadozzii l. l. et Lensii pl. 2. fig. 4) neque pedes ejus calceis tecti sunt sed taenias obvolati in monogrammo illo exstant; taenias sine dubio byblio factis, quas jam Herodotus¹⁾ sacerdotum Aegyptiorum fuisse commemoravit. De sacerdotum muneribus supra disserui; eos autem deae mendicantes pecuniam parasse, quam rem magnae matris Idaee sacerdotibus objurgantur, ex Ovidii versibus²⁾ hisce fortasse eruendum est, nisi aut poeta Isidem cum Cybela confuderit aut versus istos nos falso interpretemur:

Ecquid ita est audex ut limine cogat abire
Jactantem Pharia tinnula sistra manu?
Ante deum Matrem cornu tibicen adunco
Quum canit exiguae quis stipis aera negat?

Et tamen non video quo consilio ante fores sistra concusserit Isiacus, nisi ut dona nactus pro salute ejus qui liberaliter dederit deam exoret; neque minus haec duo disticha juncta sensum istum praebeat, quamquam nullum alioquin novimus qui eandem rem commemoret auctorem, nisi de magna deorum matre Idaea.

Magna sane inter eos qui veteris artis monumenta interpretantur lis est, utrum Isiacae quoque sacerdotes statuenda siat nec ne. Mibi quidem persuasum est feminas sacerdotes rite sacratas deae non fuisse, quem nullus ejusdem rei veterum scriptorum inveniatur testis;

¹⁾ Herodot. II. 37.

²⁾ Ovid. Epp. ex Ponte I. 1. 37.

hoc tamen contendere, feminas quasdam, summum vitæ finem quae in Isidis cultu posuerant, sempiternam etiam deae castitatem vovisse, quo tamen facto nunquam faciendis sacerdotum caerimoniis admittebantur. Poetæ lyrici Romanorum jam aureæ litterarum aetatis saepius paellarum pietatem erga deam Aegyptiam canunt¹⁾) neque minus Juvenalis acerbissimarum scriptor saturarum, quam superstitionem dixit severe vituperat (Satura VI), sed etiam constantissimæ in honorem Isidis feminarem castitatis Tertullianus testis est²⁾). Consperxeris queque in pictura Herculanea altera (tom. II. p. 315) mulieres in celula sanctissima collocatas, qui sistrorum strepitu sacra celebrant: tamen non ipsae sacris caerimoniis intermunt perficiendis.

In mysteria deae ut initientur cupientium tentamina, quae Apuleji verbosa est descriptio, non ignoramus; puto enim nos omnia scire quamvis auctori tanquam nonnulla tacuerit simulare placeret.

Qua calidissima lentitia sacerdos sacerorum cognoscendorum avidos ipsa mora magis etiam efflagrari studuerit, mira arte Apulejus adumbravit. Etenim que graviora ten-

¹⁾ Tibull. I. 2. 23.

Quid tua nunc Isis mihi Delia quid mihi prosunt

Illa tua totiens aera repulsa manu

Quidve pie dum sacra colis pureque lavari

Te (memini) et puro secubulisse toro?

cf. et Ovid. A. A. multos locos.

²⁾ Tertull. de exhortat castitatis 13. Novimus et continentes viros, et quidem tauri illius Aegyptii antistites; feminas vero Cereris Africanæ, cui etiam sponte abdicato matrimonio adsenescunt, aversantes exinde contactum masculorum usque ad oscula filiorum cf. ad uxorem lib. I. 6.

tamina sunt, quibus tirones ad arcani cognitionem licet perveniant, quoque tardiores qui sacris praesunt cupidini satisfaciunt hominum, eo magis instigant. Si vero sacerdotibus, antequam ad sacra facienda adirent lustrali lavatione quorundamque ciborum abstinentia opus erat, non minus eis qui sanctis Isidis mysteriis ut iniiciarentur cupiebant.

Consentit cum Tertulliano¹⁾ asini aurei auctor, qui de sua in Isidis mysteria initiatione hoc memoriae tradidit: „Jamque tempore ut ajebat sacerdos, id postulante, stipatum me religiosa cohorte deducit ad proximas balneas; et prius sueto lavari traditum, praefatus Deum veniam purissime circumrorans abluit; rursumque ad templum reductum, jam duabus diei partibus transactis ante ipsa deae vestigia constituit; secretoque mandatis quibusdam quae voce meliora sunt, illud plane cunctis arbitris praecepit, decem continuis illis diebus cibarium voluptatem coercerem, neque ullum animal essem et invinius essem.” Non vile illud fuisse videtur jejunium, quum per decem dies cibis quam maxime abstinere jussus sit tiro; sed et hoc ad ea quae supra ex Porphyrii libro attulimus spectat; animalibus vesci vinumque bibere tironibus etiam, dum quidem adeant ad sacra nefas existimatur. Eum autem finem jejuniis illis petuisse videntur sacerdotes, ut quam maxime deminutis tam corporis quam animi viribus in sacrorum penetralia inducerent tirones, ibique oculorum fraude captorum ambiguis sententiis augerent stuporem. Neque haec auctorem nostrum effugerunt. Protinus enim

¹⁾ Tertull. de baptismo c. 3. Nam et sacris quibusdam per lavaoribus initiantur; Isidis allicujus aut Mithrae; ipsos etiam deos suos lavatione efferunt.

toto corpore linteo tecto arreptaque manu sacerdos eum in penetralia dicit sacrarii. Quae ibi se vidisse crederet Apulejus quum utrum apiriret necne dubius esset, tamen scriptoris illius loquacitati hanc debemus de mysteriis notitiam: „Accessi, inquit, confiniam mortis et calcato Proserpinae limine per omnia vectus elementa remeavi: nocte media vidi solem candido corruscante lumine; deos inferos et deos superos accessi coram et adoravi de proximo.” Et postquam gloriose superavit tartari terrores neque caelitum splendore turbatus labavit, divina fere specie ornatus populo ostenditur; „nam in ipso aedis sacrae medullis, ante deae simulacrum constitutum tribunal ligneum jussus superstisi, byssina quidem sed floride depicta veste conspicuus. Et humeris dependebat pone tergum talorum tenus pretiosa chlamyda. Quaque tamen viseres, colore vario circumnotatis insignabar animalibus. Hinc dracones indici, inde gryphes hyperboraci quos in speciem pinnatae alitis generat mundus alter. Hanc olympiacam stolam sacrati nuncupant. At manu dextera gerbam flammis adultam facem et caput decora corona cinxerat palmae candidae soliis in modum radiorum persistentibus: sic ad instar solis exornato et in vicem simulacri constituto, repente velis reductis in aspectum populi errabam.” Tota ex arcaborum rituum descriptione cognovimus sacerdotes tirorum oculos modo luminis candore modo noctis caligine turbasse; elementa autem per quae vehatur Apulejus, superorum inferumque sedes deorum Isidem unicam deam nutu suo ac numine moderari ipsa, quae Apulejo conspicua facta est dea, affirmavit').

’) En adsum tuis commota Luci precibus, rerum Natura parens elementorum omnium domina, saeculorum progenies

*Sollemnia sacra sequuntur gaudia laetaque convivia.
Tres autem dies teletae sacris caerimoniis consumunt;
quibus hoc adipiscuntur initiati, ut eis, quotiens libuerit
sacrarium visere fas sit, quum qui cunctis temptationibus
non perfuncti sed tamen deae pio animo adicti sunt preces
ad numen divinum mitterent foris stantes, illique arcanae
doctrinae habeant scientiam, quae hisce non contingit.
Ovidius¹⁾ neque non Juvenalis²⁾ poetae anguem commi-
morant, qui Isidi appositus sit, qui tamen omnino quo-
dianorum nec proprie arcanorum rituum fuisse videtur.
Quo sensu Cereri anguis dracove tribuatur, omnibus no-
tum est; neque dubium esse mihi videtur, quia Isidi a
Grecis Romanisque consimili ratione appositus sit³⁾,
quem veteres Aegyptii quidem regiae majestatis symbo-
lum habuerunt, ideoque deorum regionae circum cornua*

*initialis summa numinum, regina manum, prima caelitum, deo-
rum dearumque facies uniformis: quae caeli luminosa culmina
maris salubria flumina, inferorum deplorata silentia nutibus
meis dispenso.*

¹⁾ Ovid. Met. IX. 693.

*Sistraque erant nunquamque satis quae situs Osiris
Plenaque somniferi serpens peregrina veneni.
coll. Amor. II. 13. 13.*

*Per tua sistra precor per Anubidis ora verendi
Sic tua sacra plus semper Osiris amet
Rigraque labatur circa donaria serpens.*

²⁾ Juvenal. Sat. VI. 537.

*Et movisse caput visa est argentea serpens
Illiis lacrimis.*

³⁾ Ea re magis probatur sententia anguem Graecos Isidis
mysteriis adiaceisse, quum et cista mystica inveniatur in menu-
mentis Romanae artis Isidis cultum spectantibus, quae res ta-
men a Graecorum mysteriis originem duxit.

dextrum efflexerunt. Admirabilis semper mihi fuit, vehementissima illa pietate abundans supplicatio, quae quam ardenti animo doctrina illa qua numen unum esse summum potestissimum compertum tenerent, testificatur, acripsit. Pietatis illius exemplum idem Apulejus exhibet process, quibus deam aggressus est').

Cultus emine aliquid maestum atque paene trucidentum fuisse proprium multerum testimoniis probatur auctorum, quorum nonnulla quae manifeste ostendunt sacrorum naturam afferre licet. Notissimum sane qui ea tractavit

“ „Tu quidem sancta et humani generis sospitatrix perpetua; semper fovendis mortalibus munifica, dulcem matris affectionem misericordia castis tribuis. Nec dies, nec quies ulla, ac ne memorem quidem tenuis transcurrit beneficis otium, quin mari terraque protegas homines depulsis vitae procellis salutarem porrugas dexteram. Qua fatorum etiam inextricabiliter contorta retractas lilia*), et fortunae tempestates mitigas et stellarum noxios meatus cohibus. Te superi colunt; observant inferi, tu rotas orbem, lumenas selem, regis mundum, calcas tartarum. Tibi respondent sidera, gaudent numina, redescant tempora, serviant elementa: tuo nutu spirant flamina, nutruntur nubila, germinant semina, crescunt germina. Tuam maiestatem perhorrescant aves caelo meantes, ferae montibus errantes, serpentes solo latentes, belluae ponto natantes. At ego referandis laudibus tuis exilio ingenio et adhibendia sacrificia tenuis patrimentio: nec mihi vocis ubertas ad dicenda quae de tua maiestate sentio sufficit, nec ora mille linguaeque totidem vel indefessi sermonis aeterna series. Ergo, quod solum potest religiosus quidem, sed pauper alioquin, efficere curabo: divinae tupa vultus numenque sanctissimum intra pectoris mei secreta conditum perpetuo custodiens imaginabor!”

*) Respicias quam supra Jamblich sententiam de fate deis Aegyptiis subiecte proposui.

auctor Laetantius videtur, qui istitutionum divinarum lib. I. c. 21. haec fecit verba:

Interim videamus et caetera, quae carent scelere (sc. sacra) ne studio insectandi videamur eligere pejora. Isidis Aegyptia sacra sunt, quatenus filium parvulum vel perdidit vel invenerit. Nam primo sacerdotes ejus deglabrato corpore pectora sua tundunt, lamentantur sicut ipsa quum perdidit, fecerat. Deinde puer producitur, quasi inventus et in laetitiam luctus ille mutatur¹). Semper enim perdunt, semper et inventant. Refertur ergo in sacris imago rei quae vere gesta est, quae profecto si quid sapimus declarat, mortalem mulierem fuisse ac paenę orbam nisi unicum reperisset. Quod illum ipsum poetam minime fagit, apud quem Pompejus adolescens, morte patris audita loquitur haec:²)

„Evolvam busto jam numen gentibus Isim

Et tectum lino spargam per vulgus Osirim.“

Ista Laetantii verba sunt, quibuscum Minucii Felicis in libro cui Octavio nomen inscriptum est c. 21 artissima congruunt³). Viros autem illos Christianae doctrinae summo

¹⁾ cf. Ovid. Met. IX. 692. Nunquamque satis quaesitus Osiris.

²⁾ Lucan Pharsal. 9. 158.

³⁾ Considera denique sacra ipsa et ipsa mysteria; invenies exitas tristes fata et funera et luctus atque planctus miserorum deorum. Ieis perditum filium cum Cynocephalo et calvis sacerdotibus luget, plangit, inquirit: et Iaci miseri caedunt pectora et dolorem infelissimae matris imitantur. Mox invento parvulo gaudet Ieis, exultant sacerdotes, nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel inventire quod perdunt. Nonne ridiculum est vel lugere quod colas vel colere quod lugeas. Haec tamen Aegyptia quondam nunc et sacra Romana sunt.

studio deditos cum perdendi et inveniendi tum luctus laetitiaque exsultantis discrepantia sacra illa risui tradere voluisse patet; caveamur verum ne nimio contentu derideamus, quae etiam nostra aetate a Christianis quotannis exerceuntur. Namque si integro animo consideraveris quae Minucius rettulit, ipsis ejusdem verbis accuratam rei explicationem invenies, quae etiam Firmici Materni firmatur argumento. Non enim putandi sunt Isiaci modo lugentes pectoraque plangentes et modo gaudio exsultantes; sed cum natura aut crescente aut deficiente arte hi sacrorum ritus conjuncti erant. Omne dubium Firmici Materni argumento tollitur, qui in adytis Osiridis idolum sepultum esse affirmat: hoc *annuis* inquit¹⁾), luctibus plangunt, radunt capita, tundunt pectus, lacernant lacertos, veterum vulnerum resecant cicatrices ut annuis luctibus in animis eorum funestae ac miserandae necis exitium renascatur. Et quum haec *certis diebus* fecerint, tunc fingunt se lacerati corporis reliquias reperire et quum invenerint quasi sopitis luctibus gaudent. Illa et quae de sacrorum significacione modo assert certissimam nobis praebent explicandi regulam²⁾.

Aestate, scilicet, quum fruges in horrea collectae sunt, eaque re terra quasi orba appareat, tam Osiridem lugentes querunt; mox autem semina humo redduntur, membraque lacerati Osiridis composita sepeliuntur; namque natura videtur emori. Postquam autem veris dulcissime vigore segetes crescere coeperunt, omniumque rerum natura denuo animata esse visa, tum Isiaci Osiridis in vitam

¹⁾ Firmicus Maternus de errore profanarum religionum.

²⁾ cf. supra pag. 28 nostri libelli extr.

celebrant redditum. Nonne enim secundum naturam est ut homines naturae rerum quasi morte afficiantur tristitia, quum veris redeunte amoenitate numineque benigno arvis fruges innascere jubente, gaudio impleantur. Nescio an sincera sententia caerimoniis istis abscondita non sit.

Alia quaedam Firmiei narratio¹⁾, quae nulli alioquin auctori nota esse videtur, nisi ad istos spectet ritus explicari non possit. Refert enim in sacris Isiacis de pinea arbore caedi truncum; cuius medium partem subtiliter concavari illisque de segminibus factum idolum Osiridis sepeliri; sed post annum ipsorum lignorum rogum flamma comburi. Segminibus illis quibus Osiridis componatur idolum membra lacerati dei dispersa indici puto, truncu excavato arcum, qua Isis collecta disposuerit. Quo tamen sensu cremantur segmina, nisi forte incendio Typhonis impetum indicent, hoc non video; fortasse ut denuo membra lacerare et dispergere possint sacerdotes? Hoc tamen constat pinum funestum veteribus luctus mortisque symbolum fuisse, quum et in sepulcris inveniatur Isis ex ramis pinus tanquam ipsa ramus esset, enata, quae mortui simulacro sub arbore ad deam manus tendenti aquam porrigit.

At ne temere dixisse videamur, quae probare non possimus, quum nostrae aetati Isiacorum similes tribuissem ritus, luctum affero, quem ecclesia catholica per hebdomadem Christo mortuo sacram indixit, pompamque qua Christi simulacrum die memoriae Jesu cruci infixi sacro in sepulcrum feratur. Monemus porro incessus personatus qui in Italia Hispaniaque certis diebus festis ad nostram

¹⁾ Firmicus Matern. I. I. c. 21.

usque aetatem habentur. Neu quis putet me mente tam captum esse ut Christianam doctrinam ullo modo cum Isidis comparem mysteriis: hoc demonstratus eram quibus caerimoniis gaudeat alacris nonnullarum gentium cogitatio.

Praeter illos tamen summa celebratos pietate dies festos, quibus Isidis Osiridisque fata imitabantur initiati, multis aliis supplices occasionibus utebantur ad visendā deae fana. Isidis navigium de quo jam alterius partis libelli nostri initio mentionem fecimus, non selum Corinthi sed etiam Romae sacra celebratum est pompa. Laetitiae hic dies dicatus fuisse videtur, quum ante sacerdotum gravissimam pompam, quae Apulejus anteludia dixit, procederent: „Hic enim incinctus baltheo militem gerebat, illum succinctum chlamyde copides et venabula venatorem fecerant: alius soccis obauratis, indutus serica veste mundoque pretioso et adtextis capite crinibus, incessu perfluo feminam mentiebatur. Porro aliud ocreis, scuto, galea ferroque insignem e ludo putares gladiatorio procedere. Nec ille deerat, qui magistratum fascibus purpureaque luderet; nec qui pallio baculoque et baxeis et hircino barbitio philosophum fingeret: nec qui diversis harundinibus, alter aucupem cum visco alter piscatorem cum hamo induceret. Vidi et ursam mansuem, quae cultu matronali sella vehebatur, et simiam pileo textili crocotisque phrygiis catamiti pastoris specie aureum gestantem poculum, et asinum pinnis agglutinatis adambulantem cuidam seni debili, ut illum quidem Bellerophontem, hunc autem dices Pegasum, tamen rideres utrumque¹⁾.”

¹⁾ Mirum est quod Pausanias de cultu Isidis Tithoreae celebrato narravit, qui tamen deae inferorum factus est; nundinas

Miris porro rebus navis, quae dedicatur Isidi Pelagiae illustratur, taeda lucida et ovo et sulpure. Sed et hoc loco Isidis naturam spectant, quum sacerdos sollemni in pompa „aureum vasculum in modum papillae rotundatum, de quo lacte libabat” portaret, aliusque hydrium divinam numinis imaginem¹⁾). Reversa ad fanum pompa sacerdos grammateus faustis votis „Principi magno, senatuique et equiti totoque Romano populo” editis, multitudinem dimittit supplicum hisce verbis: „λαοῖς ἀφεσίς.”

Salutationes quae et alioquin erant in usu non minus contingebant deae Isidi; mane enim „rebus jam rite consummatis inchoatae lucis salutationibus, religiosi primam nuntiantes horam perstrepunt²⁾.” Quo facto magna utriusque sexus supplicum turba ad Isidis aram accedit, quos rite tamen ornatos vestitosque esse oportebat; feminae enim „crines madidos limpido tegmine obvolutae” aureis³⁾ sistris acutum edebant tironitum. Quum adhibitis quibusdam ritibus templi porta aperta esset inter tibiarum cantus ad precationem hortatur propheta. Omnes deam ut sibi propitia sit implorant, quo facto concio dimititur. Bis die magnae deae laudes cantasse supplices ex Tibulli

enim ibidem institutas esse ante diem, quo sacrorum initium fuerit indictum. Paus. X. 32. 9.

¹⁾ cf. Apulej. elegantissinam illius pompe descriptionem, Metamorphoseon libri XI initio.

²⁾ Videas quae Boettiger in dissertatione de pictura illa Herculanea pro sua uberrima cogitatione, ingenuose protulit.

³⁾ De sistro dissertatio invenitur in Graevii thesauro antiquitatt. R. tom. VI; depictum est illud in Michel Ange de la Chausse: Recueil d'antiquités Romaines. Amstelodami 1706. p. 80 et 82.

elegia patet libri primi tertia¹⁾); veri autem simillimum est hanc alteram salutationem vespero antequam porta clausa sit esse factam. Nil aliud conjectit Boettiger, qui hora decima supplicum turbam ad aras redire ibique tubarum strepitu preces edidisse statuit. At longe gravissimum sacrorum momentum est, quod propheta populo sanctum ostenderit hydrium, ad templum aedemque casta religione relatum; „tunc enim in terra procumbentes manibus ad coelum sublatis de invento ejus (aque) gratias agunt divinae benignitati²⁾). Isidi hostiae caedi, apud Aegyptios saltē nefas habebatur; et quidem Romae quoque plerumque thure eam venerabantur³⁾), praeter quod lac et mel ei offerebant, libarumque genus, quod popanum vocavit Juvenalis. Quum vero cuncti sacrorum ritus ab Aegyptiorum prisco more alienati essent, neque hoc p̄ceptum tollere dubitarunt, ne hostiae Isidi et Osiridi caederentur, sed anseres deae sanctos haud raro immolarentur⁴⁾). Cujus saepissime mentiouem faciunt veteres scriptores mos maxime in usu fuisse videtur, imprimis feminis, ut enim

¹⁾ v. 31 sq.

Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.

²⁾ Vitruvii p̄af. libri VIII extr.

³⁾ Ovid. A. A. III. 393.

Visite turicremas Vaccae Memphiticae aras!

⁴⁾ Ovid. fast. I. 453 sq.

Nec defensa juvant Capitolia quominus anser
Det jecur in lances Inachi lauta tuas.

Juvenal. sat. VI. 545 sq.

Ut veniam culpae non abnuat ansere magno
Scilicet et tenui popano corruptus Osiris.

ante templorum fores supplices sederent; ad quem morem Tibulli elegiae laudatae versus (29. sq.) sunt referendi¹⁾:

Ut mea votivas persolveus Delia voces

Ante sacras lino tecta fores sedeat! —

Quum jam eo pervenerimus, ut de Isidis nonnulla afferames simulacris, liceat antea de picturis illis Herculanis jam saepius a nobis citatis nonnulla dicere quae Boettigerum fugisse videatur. Descriptione moram non faciemus, quae fuse ab illo data est, nisi refellemus, quae alio modo putemus esse explicanda. Comparatis enim ambabus illis picturis, inter eas discrepatio ante oculos videtur posita. Nam dum prima (p. 315.) orgiorum imaginem fanaticce celebratorum reddit, alterius (p. 322) totus habitus tristitiam quandam seu certe tacitorum sacrorum signa ostendit, qua quidem Boettigerus sacra pomeridiana Isidi facta cognosci voluit. Neque haec opinio refellenda esse mihi videtur; preces deae admittunt supplices, propheta concioni hydriam ostendit unaque sistra omnia percutiuntur tubaeque canuntur. Altera tamen ab hac admodum diversa est (p. 315.). Nam accuratius ornatum cognosceres adytum, antas bederae sertis obvolutas, in quibus palmulae sunt affixae; tenent porro multi adorantium manibus ramos, feminaque poplitibus innixa terra procumbit capite etiam corona cincto. Eademque „dissoluta comas” sinistra pateram fructibus impletam deae offert, dextraque percutit sistrum. Neque minus variis

¹⁾ Ovid. ex Ponto epp. I. 1. 51.

Vidi ego linigerae numen violasse fatentem
Isidis Isiacos ante sedere focos.

cf. et A. A. III. 635 et Martial. II. 14 et Propertii eleg. II. 28. 45.

quae exstant instrumentis musicis sententia mea probatur, multis sistris et tubis tympanisque et crotalo quem sacerdos dextera, laeva catenam ex annulis sertam affert. Gravissimum autem sententiae nostrae argumentum impetus gestuum ipsa pictura cognosci potest. Nam femina non solum illa bacchico fere ardore deam veneratur, sed etiam sacerdotem sublatis manibus innixumque invenimus poplitibus, atque in pronao ad sistrorum strepitum tympanique numerum saltatorem capite hederato exsultantem. Quis non meminit Minucii Felicis dicti: parvulo invento gaudent sacerdotes, exsultant ministri. Non temere ergo conjicimus pictura illa Osiridis in vitam redditum celebratum ostendi.

Quod ad signa deae Aegyptiae nunc consideranda, adnotandum est, etiamsi verisimillimum sit in cellulis quorundam fanorum quam antiquissima signa servari solere, tamen nemo morem Aegyptium Graecae artis benigna vi mox superatum esse negaverit; et quamvis imitarentur nonnunquam Aegyptiam fingendi rationem, tamen quae exstant recentiorum temporum monumentis intelligimus signa etiam novae mysteriorum doctrinae esse mox adaptata, quae quum pantheisticam, ut breviter hoc verbo utar, exhiberet rationem, in simulacris quoque potentissimorum deorum insignia conjuncta reperiuntur, quippe quibus philosophi ejusdem aetatis varias naturae vires intelligi docuerunt. Plerunque Isidis signa cognoscere possis panno ad tricorni instar consecato, cincto cirris, qui, cervice humerisque velatis, intra mammas in nodum nexus est; hoc enim non solum signa deae sed etiam quaecunque Isidis habitum imitabantur feminae monstrant¹⁾). Pulcherrimam

¹⁾ cf. Mus. Pio Clem. Vol. VII. tab. XIX qua femina depicta

quidem deae imaginem Apulejus adumbravit (*Met.* XI. iait.) quae sine dubio non ex cogitatione tantum scriptoris illius originem duxit, sed in templo quedam fuisse videtur collocata. In villa Albana deae superest statua, nigro lapide exsculpta, quo eodem Capitolini Musei duo factae sunt¹). Quid quod omnes quibus cultui usi sint Isiaci nigro colore fuisse Boettigerus²) contendit: quam nonnunquam fuisse rem Arnobius ad nationes libro probare videtur³), qui nigrum Isidis colorem eo explicavit, quod maeraea dea filium quaerens Aethiopico sole nigra sit facta. In honorem autem deae, statuas auro gemmisque ornabant, ut Livia Chalcedonica quaedam dona quae deae dedicaverat basi statuae inscrispsit⁴).

Simulacrum ab Apulejo adumbratum jam plane Graeco more, sed ita ut Isidem noscere possis, ornatum esse constat; at certa illa deae insignia sensim deficiunt, quum deos pantheos formari placuerit, quae artis Romanae ex-

est, quae deae sibi vindicavit speciem; frustra Aegyptii moria requires vestigia. Ex capillorum dispositione hanc statuam Trajanoo Hadrianove imperatoribus fictam esse putant viri docti; caput deae symbolis ornata, pectus stola stellis lunulisque depicta involvit, laevaque manu situlam tenet.

¹) Winkelmann. storia del arte p. 107.

²) Böttiger's vermischtte Schriften. II. Theil index s. v. Isidis.

³) Arnobius ad nationes I. c. 36.

⁴) Murat. Inscript. IV. p. 1991. 3.

Isidi deae d. h. s. e. ornata ut potuit in collo h. monile gemmeum in digitis smaragd. XX dextru

cf. quae Bonuccius „Pompéi descrite” postquam Isidis sacellum descripsit de reliquis ut credit sacerdotis refert, quibus pecunia, Isiacorum simulacra, cochlearia, paterae, cistulæ, inaures adjacentes inventae sunt.

trema ratio pulcra tamen nonnulla protulit. Exstant Isidis Pantheae signa nonnulla, quorum pulcerrimum breviter descripturi sumus. Inventum est Resinae, anno p. C. n. 1746, quod Iaidis Fortunaeque conjuncta praebet symbola¹⁾. In capite signi Isidis conspexeris insignia, cornua et penas lunulamque, argento excusa: nec modium deorum inferorum Fortunaeque signum, neque cirris ornatam stolam desideraveris sub pectore in nodum nexam; laeva manu copiae cornu, dextra gubernaculo iunititur²⁾; brachium signi facta ad anguis instar armilla cinctum est. Est quidem opus illud pulcerrimum summaque arte fictum. Superest porro crinale, Isidis simulacro ornatum quod est Fortunae simillimum: attamen capite cornua lunulamque adspicimus copiaeque cornu Fortunae proprium, laeva autem manu delphinum mulcere videtur.

At quum facile fieri possit ut longa talium signorum enumeratione atque descriptione taedium lectoris efficiatur, quia in omnibus enumerandis multa jam antea dicta repeti oporteat; sufficient quae diximus, nisi de Harpocrate referamus nonnulla. In domo quidem Barberina Romae sita Isidis Harpocratisque signa inveniuntur juncta, quae Hirtius picta praebuit³⁾. Deam autem Junonis speciem nactam nisi panno illo in pectore nexo Isidem non haberet; caput velo tectum lotoque insigne, dextra sistro exstructa. Harpocrates quidem pulchri pueri forma finitur, neque hic loto non ornatus est, laevaque copiae

¹⁾ Bronzi d'Ercolano 2. p. 99.

²⁾ Apul. Met. XI. In tutelam receptus es Fortunae, sed videntis quae suae lucis splendore ceteros etiam deos illuminat.

³⁾ Hirt Mythol. Bilderbuch tab. XI. 10.

tenet cornu, dextra silentium commendat. Qui deus ad pantheorum quoque formam magis accessit; Cupidinem nonnunquam eum haberet nisi symbolorum vestitusque variatione dubium tibi oriatur¹). Namque formosus puer, alis exstructus exstat; pellicula circum pectus obvolutas dexteræ digitos labiis imprimens, laevaque arboris truncō innixus, quo avis insidet, haec est magnifica dei statua, quae serena oris gravitate insignis est²).

Osiridem denique raro sculptores fingendum sibi proposuisse videntur, quum tam raro ejus inveniantur simulacra. Statuam Osiridis quae Graeco more facta sit, ego quidem non vidi, nec quidquam de ea scriptum inveni; ceteris artis monumentis, aris, tabulisque antiquissimam saepe Aegyptiorum artem imitantur sculptores Romani; sed si novam fingendi deos Aegyptios rationem respicis non invenes Osiridem. Sensim Romani prorsus ejus obliti sunt, quum Iside dea Panthea facta mysteriis neque filio neque marito opus esset. Hic tamen finis erat antiquae religionis, quae Christianae de uno numine potentissimo maximo sententiae jam proxime accesserat.

¹) Bronzi d'Ercolano 2. p. 343.

²) cf. et Bronzi d'Ercolano p. 347. pulcherrimum Harpocratis signum hederatum ore quidem ad jocum petulantiamque proclivi.

V I T A.

Natus sum ego Carolus Reichel Carlsruhae anni
hujus seculi vigesimi septimi M. Sept. die III. patre Jo-
sepho, dramatis melici actore, matre Josephae gente
Weitner, quibus optimis dilectissimis gaudeo. Annos
sex natus primis literarum elementis imbutus mox mutatis
Laribus gymnasium adii Hammoniae Joanneum Kraftio
viro clarissimo directore florentem. Iterum relicta urbe
illa gymnasii Darmstadini, directore viro doctissimo prae-
clarissimo Carolo Dilthei, discipulis adscriptus, anno
MDCCXLV. maturitatis adeptus sum testimonium, quo
accepto Gießam sum profectus, ubi antiquitatis studiis
philologis operam impenderem. Tria in alma Ludoviciana
semestria versatus, scholas ibi frequentavi, VV. S. rever-
endorum philologas Osanni, Ottonis, Fritzschi,
Vullersii, philosophicas Hillebrandii, Carrierii,
historicam scholam Schaeferi. Hinc Berolinum emigravi,
ubi per quinque semestria doctores almae universitatis
litterariae illustrissimos audivi Boeckhium, Lachman-
num, Gerhardium, Trendelenburgium, Zum-
ptium, Ranckium, Hirschium, Curtium, quibus
omnibus viris illustrissimis, quas eis debo gratias l. m.
habere atque agere nunquam omissittam.

Insignes gratias mihi agendas esse putavi, Ottoni
professori Giessensi optime de me merito, atque Ger-
hardio viro praeclarissimo, cuius ex archaeologicis ex-
ercitationibus quantum ceperim fructum voluptatemque
semper pio gratoque animo memorem me praestabo.

T H E S S.

1. **Scriptoris mores ex ejus scriptis non semper posse cognosci.**
2. **Neatoris sedem regiam ex Homeri sententia esse Pylum Messeniacam.**
3. **Sophistas a caeteris ejusdem temporis philosophis non tam sententiis ipsis quam ratione differre qua eas protulerint.**
4. **Versus in Sophoclis Ajace 839 sqq. Br. spurios non esse existimandos.**
5. **Sallust. Catil. 10: post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas immutata, contagio ab lativum esse censeo.**

